

**www.e-rara.ch**

**Ecclesiastica Historia, sive Metropolis**

**Krantz, Albert**

**Basileae, [um 1552]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2832>

Liber quintus

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

principia sunt sanguine martyrum consecrata. nam Magnopolitanū episcopatū Ioannes primus episcopus, sanguine suo rigauit: Raceburgensem, Ansverus, cum fratribus pro Christo cæsus, dicauit. Aristo autem episcopus non legitur cæsus. Ergo Vuandali uictoria potiti, totam Hamburgensem parochiā ferro & igni demoliti sunt. Stormarij & Holsati ferè omnes aut occisi, aut in captiuitatē sunt perducti. Hamburg cum arce sua funditus excinditur, & in derisionem Saluatoris nostri etiā cruces à paganis sunt truncatæ. Ciuitas etiā Sliasuuij ab iisdē funditus euertitur. Huius autē cladis autor Pluffo quidam fuisse dicitur, qui sororē Godschalci coniugem habuisse fertur: domumq; reuersus, & ipse obtruncatus est. Itaq; omnes Vuandali facta conspiratione, ad paganismum denuò sunt relapsi: eis occisis, qui in fide perstiterunt. Dux Ordulphus sæpe contra Vuandalos dimicans, nulla unquam potitus est uictoria. Igitur expulsio archiepiscopi, & mors Godschalci, anno Heinrici regis 8. archiepiscopi 22. anno scilicet Christi 66. post mille, prouenerunt. Vacauit exinde sedes Aldenburgensis, cū filiabus Magnopolensi et Raceburgensi, per annos 84. Hæc est Vuandalorum tertia negatio, quos primo Carolus cōuertit, deinde Otho primus, nunc uerò tertio princeps Godschalcus. Et hæc mala signauit horribilis Cometa, qui ipso anno apparuit circa dies Paschæ. Eodem anno clades maxima prouenit in Angliā, per Vilhelmum Normannum, ex littoribus Galliarum, quod in Noruagia nostra sumus plenius executi.

## F I N I S Q V A R T I L I B R I .

## L I B E R Q V I N T V S ▶

## C A P V T I .



**N**ON alienum est professioni nostræ, quando res ecclesiasticas scribimus prouinciæ Germaniæ Borealis, intexere catalogum summorum pontificū, annotationibus breuissimis, cum designatione rerum clarissimarū, quæ sub cuiusq; pontificatu agebantur. Igitur quoniam ad Nicolaum primum seriem deduximus, inde prosequamur cæteros, exequentes ad nostra usq; tempora: hoc est, ad initium Heinrici quarti regnantis: cuius Imperium multum diuq; colluctatum est aduersus Romanos pontifices, quod in Saxonia nostra ostendimus.

Hadrianus secundus, natione Romanus, quod pōtificatu dignus fuerit, uel inde clarissimè constat, quod inuitus ad cathedram traheretur, laudante Luduuico secundo concursu uotū, qui & illius refragantiā, libenter approbavit. Sub hoc damnatus est Photinus hæreticus, in Constantinopolitano concilio. Optimus pontifex, nihil prætermittens quod erat ministerij sui, anno 5. mense 9. pontificatus defecit.

Ioannes octauus, patria Romanus, græcè & latinè doctissimus, Carolum 3. cognomento Grossum, corona donauit imperij. Tumultum & carcerem à suis passus, euasit in Gallias: ibi rem ecclesiasticam composuit concilio Trecenti. Deniq; ad urbem rogatus redijt. In Sarracenos duxit, expellēs eos Italia & Sicilia. Multa è græco transtulit. Peruenit ad annum pontificatus decimum, & obiit.

Martinus secundus, quem alij Marinum uocant, natione Gallus, malis artibus fertur ad pontificatū peruenisse. Ioanni prædecessori suo insidiatus, dicitur eius carcerem procurasse. Et tamen pontificatum malè quæsitum, bene admī-

**A** ne administrare non potuit. Sed in hoc foeliciter prouenit ecclesiae, quod non diu fructus est honore pontificio. Nam anno 2. mense 5. defecit.

Hadrianus tertius, patria Romanus, tanti fuit animi, ut a deo pontificatu decretum faceret, quod in assumptione Romani pontificis Imperatorum assensus non expectaretur: quod Nicolaus potius molitus est, quam inchoabat. Ferebant tempora, Romanorum improbitas, ut Imperatores adessent: nunc cum uirtus in Imperio elanguit, ausi sunt pontifices eos contemnere. Anno secundo pontificatus spem multorum fecit inanem, deficiens.

Stephanus quintus, patria Romanus, pontificatum inijt eo tempore quo Galliae Normannis, Italia Sarracenis colluctantur: tenuitque labore plurimo. Nam & Italia inquieta fuit, & Romani non satis parebant: fecit tamen bonus pontifex quod potuit, ut ecclesia Dei bene proficeret, & iuribus eius nihil decederet. Compleuitque in pontificatu annos 6. & transiit ad meliora.

Formosus, hic Portuensis episcopus, Ioannis 8. seueritate ueritus, urbem dimisit, quod conscius crederetur uinculorum Ioannis. Nomen assumptum in pontificatu, insinuat hominem insolentem. Episcopatum & urbem abiurauit: sed Martinus eum absoluit, & restituit. Papa creatus, Arnulphum fecit Imperatorem, accitum in urbem: perduxitque pontificatum in annum quintum, & mortuus est.

Bonifacius sextus, patria Tuscus, creatur pontifex. sed quod paucis diebus preerat, nihil magni efficere potuit: nec declarauit, quam sequeret tum factionem, quae fuit inter cardinales, & perinde creatos pontifices. Tantum enim 15. ut alij 25. diebus in pontificatu dicitur uixisse.

Stephanus sextus, patria Romanus, adeo fuit infestus Formoso, ut exhumatum, pontificalibus iuberet nudari, digitos praescindi, & in Tyberim mergi: quibus contra iusiurandum sit abusus, sepulturae tradi laicali. Fuit haec dissensio pernicioso exemplo inter summos pontifices, uicarios Christi: quam dissimilimos sanctitati patrum, qui ad martyrium ex hoc gradu transierunt. Anno secundo, mense tertio defecit.

Romanus, & uocabulo & origine, suffectus Stephano, statim improbat acta praedeccessoris: ultra etiam forte processurus, si uita illi longior fuisset, ad declarandam sectam siue factionem suam, qua tum turpissime pontifices laborabant. Nam mense tertio ab inito pontificatu moriens, illum reliquit.

Theodorus, & ipse Romanus, nihilo melior praedeccessoribus suis. Formoso & ipse subscripsit, contrariae factioni quantum potuit renisus: sed non potuit intra paucos dies multa, nam uicesimo septimo die initum pontificatum, moriens, dimisit.

Ioannes nonus, & ipse Romanus, Formoso inhaesit. & quoniam Romano populo uisum est graue, ita tumultuari pontifices, ut penes commotio grauis excitaretur, nisi Ioannes cedens, Rauennam peteret: ibi in pontificum concilio acta Formosi iustificat, Stephani condemnat. Sed ne ultra procederet, uita breuis effecit. Nam anno secundo uix ingresso, moritur, & successoris fecit locum.

Benedictus 4. & ipse Romanus, modestia & suauitate praestitit praedeccessoribus. Nam factioni illorum se non immiscuit, sed ut potuit, ministerij sui munus diligenter impleuit. Exinde probator, quod illum tot praua non fecerint exempla deteriorem. Anno 3. pontificatum moriens reliquit.

Leo quintus, cuius patria nusquam exponitur, fuit Benedicto in pontificatu surrogatus: uir optimus, sed qui inuidiam suorum euadere non posset. Captus enim a domestico suo Christophoro, ambiente pontificatum quarto Leonis die, ita coactus est se pontificatu abdicare: & breui deinde confectus animi dolore, Leo interijt.

Christophorus malis artibus, pontificatu per uim deiecto Leone, optimè a de se merito, fit pōtifex: sed septimo mense, quo modo ingrediebatur, sic deturbatur, in monasteriū detrusus. Sed inde exemptus, duriori carceri est traditus à successore, quòd successorì quieturus non uidebatur: ibiq; moriens, defecit. Sic præmia sint malè meritis.

Sergius eius nominis tertius, natione Romanus, iam tum diaconus Formoso restitit: quapropter in Gallias fugere est coactus. Reuersus autem, fauore Lotharij regis, ad pontificatum peruenit. Christophorū monasterio exemptum durius carcerauit. Formosum sepultum, iterum erutum iussit decollari, atq; in Tyberim proijci. Sed repertus, ad sepulturam redditur, non sine miraculis. Moritur iste anno septimo.

Anastasius tertius, patria Romanus, Sergio surrogatur, uir bonus: & in hoc præcipuè collaudatus, quòd prædecessorum suorum factionibus se minus immiscuit, neque approbans, neq; reprobans acta cuiusquam, sed omni sollicitudine sua tempora curauit. Nam secundo anno sui pontificatus deficiens, moritur, facitq; locum successorì.

Laudo, patria Romanus, adeò fertur obscure pontificatū gessisse, ut nonnulli eum inter pōtificates non numerent, alij tamen hoc eum loco dignantur, qui eum traditū interposuisse autoritatem, quo minus Berengarius, tum rex Italiae, & Rodolphus Guïdonis filius, bello inuicè decertarent. Sexto autem mense sui pontificatus moritur.

Ioannes eius nominis decimus, patria Romanus, pontificatum est adeptus multis aduersationibus. Rauennas erat archiepiscopus: inde deturbatur, fit uniuersalis Romanus, bene temporibus necessarius, quòd cum Alberico marchione Hetruriae, Sarracenis eijciendis laboraret. A militibus aut Guïdonis capitur, dum se nimis immiscet temporali gladio. Ceruicali in os proiecto necatur, anno pontificatus decimotertio.

Leo sextus, patria Romanus, componendis ciuibus per tempora prædecessorum tumultuantibus, laborem impendit. Italiam pacauit, ut potuit. Hostes externos exclusit. Et omnia in melius reformās, dum maiora molitur, è uita subtrahitur, mense pontificatus sui septimo. Mirum de menstruis pontificibus: non carent tempora ueneni suspicionem.

Stephanus septimus, natione Romanus, pontificatum iniit, dum Vngari & Italiae & Germaniae graues imminerent. Ipse autem dum Italiae prospicit, dum urbem Romam componit, maiora meditatus, medio uitæ cursu subtrahitur. nam anno pontificatus sui secundo, uitam cum morte commutauit.

Ioannes undecimus, natione Romanus, pontificatum administrauit eo tempore, cum Genuae fons sanguinis effluxit, præmonstrans uastitatem quam erant Sarraceni facturi. Vngari quoque Italiam ingressi, late omnia populati sunt, ut monstris fieret fides. Ioannes autē pontificatus sui anno 4. moriens, successorì locum fecit.

Leo septimus, patria Romanus, eo tempore gessit pontificatū, cum Hugo & Rodolphus ex Gallijs acciti, gubernarēt eam quæ dicitur Lombardia prouinciā. Leo aut cum suæ studeret quieti, nullis se rebus implicuit. Pontificatum egit in annum usq; tertium: quo moriens, locum celsit se uiuaciori.

Stephanus octauus, natione Germanus, pontifex creatur, mirum quomodo sinentibus Romanis: præsertim cum nullus ex Germania Imperator urgeret. Sed Romani uirum bonum adeò contumelijs affecerant, & pudendis in fronte uulneribus, ut publico abstineret: & facile appareret, illum inuitis dominis Romanis in sede esse Petri. Moriturq; pontificatus sui anno tertio, mense quarto.

Martinus tertius, patria Romanus, pontificatū adeptus, post multos respexit

**A** spexit germanitus ad officium publicum quod gerebat. Templam instaurauit, pauperes aluit, pietatem coluit, mores reparauit: & forensibus omis-  
sis, cuius in terris uices gereret, diligenter est intuitus. Sed bonus pontifex diuturnus esse non potuit, nam tertio anno sui pontificatus, sexto mense defecit.

Agapitus secundus, natione & ipse Romanus, pontificatum gerebat in diebus ultimi Berengarij, quem cum cerneret intractabilem, & ad solam tyrannidem insolenter agere, uocauit Othonem primū, Germaniæ & Romanorum regem: qui dum conflictaretur Berengario, Agapitus in annum usque nonum cum summa laude pontificatum gessit, in pace concludens.

Ioannes duodecimus, Alberici potentis Romani filius, papatū occupat. In eo seculariter uiuit, uenationibus & libidini seruiens. Romani iam formā ueteris reipublicæ renouasse uidebātur. Erant consules, & decarchones. Sed Ioannes ubi nihil modestius agit, duo cardinales literis accersunt Othonē. malē mulctantur ab Ioanne, ubi innotuit. Venientem Othonem non expectauit: sed abiens in auia, occiditur in adulterio, anno nono.

Leo octauus, ciuis Romanus, & Lateranensis protoscriniarius, deposito à patribus Ioanne, creatur pontifex in locum eius. Sed non sunt passi Romani, qui abeunte Imperatore Benedictum surrogarunt. Reuersus Imperator, adegit Romanos Leonem reponere, Benedictum dēdere. Itaque peregit in pontificatu Leo annum unum, menses quinque. Eius literæ antiquitatis indices, sunt in nostra Saxonia.

Benedictus quintus, natione Romanus, declinante cum exercitu Imperatore, deturbato Leone, ab amicis Ioannis pontifex creatur. Non est passus Otho legitimi pontificis Leonis iniuriam. Exercitu urbi admoto, adegit Romanos ciues multis incommodis, Benedictum dēdere, Leonem restituere. Benedictum cum Adalago cancellario suo, archiepiscopo Hamburgensi, misit exulatum in Hamburgum. Ibiq; dolore animi moriens sepelitur.

**B** Ioannes decimus tertius, patria Romanus, Narniensis episcopus, pontifex creatur: sed Romanorum suorum inuidiam superare non potuit. Iofredus Campaniæ princeps, Romam accersitus, eum capit: includit arcem sancti angeli, abducit in suam prouinciā, occiditur Iofredus, papa restituitur. Otho ubi audiuit, parabat uindictam. Ioannes autem 6. pontificatus sui anno penē expleto, dormiuit in pace.

Benedictus sextus, patria Romanus, ubi insolescentium ciuium uoluntatibus refragatur, capitur à Cincio potenti Romano, & in arcem Hadriani recluditur. ne ue ex Germania euocaret Imperatorē, ibidem strangulatur: uel, ut alij scribunt, fame moritur. Ita uirtus emicuit pestilentium Romanorum: hominum, qui à uera nobilitate nimium degenerauerant. Anno secundo sui pontificatus moritur.

Donus, patria Romanus, uir per omnia modestus, qui ciuium uoluntatibus non adeò refragatus, pacem temporum habuit. Ecclesiastica administrauit mediocriter, neque laudem magnam, neque reprehensionem meritus. Quietē transiuit tempora sua, ad annum pontificatus sui non expletum, moritur.

Bonifacius septimus, cuius ignoratur patria, malis artibus adeptus pontificatum, cum non modestius ageret in eo, quàm conscendisset, exturbatur. Preciosa quæque abduxit, & pecunia suffarctus redijt. corrupit quos uiderat sibi profuturos. Ioannem diaconum sibi obsistentem exoculauit, mense septimo, bestia periit.

Benedictus septimus, patria Romanus, pontifex creatur. Rhemis celebrata Synodo Gilbertum damnari curauit, hæresimq; extinxit. Othonis iam

senescentis annuens uotis, Othonem filium cum Theophania coniuge Imperatorem consecrauit, & coronauit. peruenitq; ad octauum sui pontificatus annum. A

Ioannes decimus quartus, pōtifex creatur ex Romanis: sed breui captus, in Hadriani molem clauditur. Sua id culpa acciderit, an Romanorū insolentia, non satis aperiunt scriptores. Potuit utrunq; esse in causa. Verū ibi inedia moritur, mense octauo inīti pontificatus.

Ioannes decimus quintus, patria & ipse Romanus, hoc habet testimonium, quod amore cognationis suæ oblitus sit religionis. Nam nepotibus, consohrinis & proximis omnia, religioni & merito nihil deferebat: unde uisus odisse clerum, ab eo non amabatur. Nostrorum temporum mala. Octauo mense defecit.

Ioannes decimus sextus, & ipse Romanus, uir pontificatu dignus, restitit Romanis insolescentibus. Crescentius autem Romanus cum omnia in se traheret, coegit pontificem cedere in Hetruriam: uerū timens, quod Othonē tertiu accerseret, misit amicos oratu, ut rediret: uenientemq; ueneratur. Perduxit autem pontificatum ad annum usq; decimum.

Gregorius quintus, Germanus origine, Saxo regione, de sanguine Othonis tertij, in gratiam eius pontifex creatur. Sed Crescentius non destitit augere potentiam, celsit pontifex in Hetruriā, inde in Germaniam. Interim Crescentius muniuit arcem Hadriani, uisus Germanorum uiribus resistere. Venit cum exercitu Imperator: Crescentiu & Antipapam capit, & occidit. Gregorium reponit. Sed non diu supererant, curatibus magistris Romanis. nam & Otho 3. ueneno tum perijt, anno secundo Gregorius celsit.

Ioannes decimus septimus, is est natione Græcus: quem in locum cedentis Gregorij, Crescentius intrusit: doctum quidem senem, & diuitem hominem, Placentinum episcopum, sed ambitione cæcum, qui se pateretur in locum legitimi pōtificis intrudi: unde malè perijt cum suo Crescentio, decimo mense sui pontificatus. B

Syluester secundus, natione Gallicus, malis, ut ferunt, diaboli artibus conscendit ut esset primū Rhemensis, deinde Rauēnas archiepiscopus, demū papa: à diabolo animatus, tam se diu uicturum, quoad Hierusalem contingeret, non cogitauit de capella in Lateranensi: ibi celebrans infirmatur ad mortem. Moriturus signa magna dat pœnitentiæ. lubet se dimembrari, & proijci canibus. Spem aiunt factam salutis: alij fabulam cōtemnunt, quod & ego. Ad annum secundum peruenit.

Ioannes decimus octauus, cuius ignoratur patria: quia parum præfuit, parum de illo scribitur. Nam uiuendo uix attigit mensem quintum: quo tamen omni tempore uisa sunt prodigia multa, temporum mutationem prælagientia: cometes, & terræmotus uarij.

Ioannes decimus nonus, & ipse Romanus, cum pontificatū inijisset, usus modestia, paucis se rebus implicuit, memor quibus se priores pontifices difficultatibus implicuissent. Si ad pietatem omnia conuertit, bene habet: si nō, suis commodis & quieti temporum, ad solam uoluptatem indulgit. Anno quarto moritur.

Sergius, eius nominis quartus, et ipse Romanus, pontificatum adiit, dum Sarraceni in Sicilia dominarentur, & in Italia pedem infigerent. Sed Sergius omni quo potuit conatu, nobilitatem Italiæ monuit ac stimulauit, ut gentem eijcerent: & perfecit, ut Normanni ibi potissimum laborarent. Anno secundo pontificatus defecit.

Benedictus octauus, patria Tusculanus, papatum inijt, & Heinricum Bauarum per electionem primū assumptū, corona donauit. quo mortuo, ab æmulis

A æmulis pellitur, & alius surrogatur: tamen postea cum æmulis cōpositus restituitur. Ad annum undeuigesimum peruenit. Hunc scribit Petrus Damianus, uisum episcopo sedentē in atro iumento, & elemosynas pro se dari mandantem. Episcopus omnibus omīsis religionem ingreditur.

Ioannes uigesimus, & ipse Romanus, creatur pontifex, cum Conradus secundus imperaret: quem etiā corona donauit. sed ab æmulis uexatus, illius patrociniō permansit in pontificatu, & perdurauit in annum usq; undecimum. Nam Conradus interminatus est Romanis, si se aduersus pontificem commouissent.

Benedictus, eius nominis nonus, patria Tusculanus, pāpa creatur: quem Romani pro ignauia contempserunt: deturbatoq; eo, Ioannem Sabinum episcopum, Syluestrū tertium uocantes, sufficiunt. Sed & ille displicuit, ac eiicitur, Benedicto reuocato. Sed cum uideret eius rei discrimina sapius subiturum se, Ioanni archidiacono sancti Ioannis ad portam Latinā, quem appellabant Gregorium 6. papatum tradidit, si non uendidit. Harum rerum pertæsi Romani, deferunt Imperatori arbitrium de pontificatu. Annos decem durauit sub Benedicto ista uariatio.

Syluester, eius nominis tertius, in locum deturbati Benedicti, non legitime, sed per tumultum creatus, cum esset antè Sabinensis episcopus: reposito Benedicto, & ipse deturbatur, non legitime accepto pontificatu. nam die 49. ab assumpta, imò occupata dignitate, detruditur.

Gregorius sextus, archidiaconus, siue, ut alij scribunt, archicanonicus, uir primarius, à Benedicto propinquo suo papatum non legitime accepit. Ideo cunctis de papatu & tribus competitoribus malè sentientibus, Hinricus tertius Imperator interpellatur. Benedictus nō suffecit: Syluester non eligitur: Gregorius malè comparauit: omnes destituuntur.

B Clemens secundus, natione Germanus, antea Sindigerus, Bambergensis episcopus, cum Hinrico Imperatore inter multos Romam petens, papa creatur: præfuitq; papatui in annum secundū. ab eo Hinricus titulis Imperatoris & Augusti decoratur. Veneno petatum aiūt periisse, arte magistra Italicorū. Quomodo enim ferrent Germanum papam, qui Romanum non ferebant?

Damasus secundus, natione Bauarus, surrogatur, antea Fridericus dictus, præcessoris sui cancellarius: alij Stephanū dicunt uocatum. qui etiam dominum suum, ambitione accensus, ueneno petierit. Sed credo infamiam à magistris impositam innoxio, quo à se deriuarent. Nam & is breui tempore mansit in pontificatu, mense uno.

Leo nonus, natione Alemannus, Tullensis episcopus, cum arbitrium de papatu Romani ad Imperatorem Hinricum tertium coniecissent (nam potens quisque per ambitionem cōtenderat ad eam dignitatem: ) Inuidia ergo magis alterna, quàm honore regio moti, deferebant Imperatori. Is circumspiciens, cum non esset in episcopis Germaniæ qui ueneficis præfici uellet: homo simplex Bruno, Tullensis episcopus, mittitur, & pontifex consecratur. Peruenit ad annum quintum.

Victor secundus, antè Gebhardus dictus, natione Alemanus, episcopus Eistadensis, antea dicebatur Aureata, pontifex creatur ex sententia Hinrici Imperatoris tertij: cum in eam rem Hildebrandus Romanus subdiaconus missus esset. Ille Synodū Florentiæ celebrauit: & in pontificatu non exegit annum secundum.

Stephanus nonus, natione Lothoringus, Fridericus antè uocatus, curauit labem Simonia detergere, ecclesiam Mediolanensem superbientem sub Romanam reuocare. Cōcilium indixit Florentiæ: sed priusquam conueniret ibidem, octauo mense defunctus, sepelitur.

Benedictus decimus, natione Cāpanus, Veltrensis episcopus, Mintius ante uocatus: cum Romani tumultuarentur, pontificem ex sua gente poscentes, pontifex acclamatur, & clamore populari pro pontifice habetur. Cessere cardinales, cūq; his Hillebrandus subdiaconus, cuius magna erat autoritas: & mensibus nouem permansit in praesumpta dignitate.

Nicolaus secundus, natione Allobrox, episcopus Florentinus, Gerhardus ante uocatus. Senis, cum Romae non liceret per tumultum, pontifex creatur. Fecit constitutionem de pontifice deligendo, quae est in corpore Decretorum. Benedictum se cogit abdicare pontificatu. peruenit ad annum tertium.

Alexander secundus, natione Mediolanensis, episcopus Lucensis, Anselmus ante uocatus, creatur pontifex. Cisalpini cum Hinrico iuniore ius antiquum repetente, primum Cadolum Parmensem episcopum, fecere Romanum, & usque Romam perduxere: sed cum multo labore Alexander ius ecclesiae tueretur, obtinuit. quam rem plenius in Saxonia inter res Imperatorias egimus. Alexander ad annum undecimum peruenit pontificatus.

Gregorius septimus, Hildebrandus ante uocatus, natione Hetruscus, cum multa pro Romanis pontificibus egisset, acclamante clero & populo Hildebrandum à beato Petro electum successorem, magnis uotis & concordibus eum designauere patres. Multus illi labor erat cum Hinrico 4. multiplex colluctatio: sed superauit ueritas, & iusticia: obtinuitq; pontifex, ut ad annum decimum tertium perueniret. Hic sistemus calamum, redeuntes ad pontifices nostros.

## C A P V T II.

**C**um Hinricus quartus, in Imperio esset primis annis pueritiae abusus, dicit quod dediscere non potuit: frena laxans libidini, cum per Imperium duo archiepiscopi consulatum tenerent ordinariū. Sed iam, ut diximus, turbato Adalberto Bremensi & Hamburgensi archiepiscopo, plus anno Coloniensis archiepiscopus rem administrabat: uir optimus, ex nobilitate Sueviae prima natus, cum fratre Vuetsilo, quem alij uocant Vuernerum, hunc curauit, moriente Engelhardo, ecclesiae metropolitanae Magdeburgensi praeficere archiepiscopum. Restitere fratres, qui iure suo electione intentabant: praetendentes praepositum suum Fridericum, uirum bonum, doctum,obilem. Sed praualuit Annonis sententia: cessere fratres, ut fuit necesse, uiro potentissimo. Fridericus tamen praepositus, ut dicemus, ordinante eodem Annone, factus est episcopus Monasteriensis. Genus amborum fratrum Annonis & Vetsili, ex comitibus de Sonnenberghe. Responderat uirtus nobilitati: & uterq; in sua ecclesia dignissime re administrauit, nisi quod Anno iam maiori fultus auctoritate, etiam Romanum regebat sub puero rege imperium. Vuetsilus autem, siue Vuernerū dicere mauis, utrumq; enim nomē legitur in Annalibus, annis 14. cum summa laude praefuit ecclesiae suae. Vidit tamen turbationem in prouincialibus suis Vuandalis, qui pro magna parte reciderunt in paganismum, caeso Godschalco, uiro Christianissimo. Sed uoluentibus seculis, cum rediret tempus miserendi eorum, & ipsi reuersi sunt ad Christi religionem.

## C A P V T III.

**H**alberstadensi deinde ecclesiae post Burchardum praeficitur alius Burchardus, cognomento Buko, qui annis 28. praefuit ecclesiae cum summa laude. His temporibus in tantum efferbuīt persecutio Vuandalorum, ut uicini Christiani male ab illis haberentur. Non erant contenti fidem reiecisse, nisi etiam in pristinos dominos suos uindicassent Saxones. Nihil Ordulfus dux, nihil Magnus filius eius potuere in gentem efferuescentem. pugnaere aliquoties in eam: sed cladem, nō uictoriam reportauere. Crito erat dux in gente

**A** ingēte rebellionis princeps, sanguinarius, qui Godschalcī alterum filium do-  
lo perdidit: ab altero & ipse in senectute, post multa tempora, interemptus:  
quod in Vuandalia diximus. Usque adeo sauij Crito in Sturmarios & Hol-  
fatos, ut cum se in eum armis tueri non possent, Holfati populariter egressi,  
sedes nouas quesierūt. Sexcētas ferunt domos emigrasse, & in Harticis mō-  
tibus (ueteres dixere Herciniam sylvam) sedes sibi constituere. sic praeferunt  
annales, quibus fidem abrogare nō debemus. Causa erat, Vuandalorū into-  
lerabilis sequitā, qui de uita & sanguine certauerūt. Accessit Imperatoris pue-  
ritia, in qua nullum erat afflictis praesidium: praesertim Alberto archiepisco-  
po eiecto, ut diximus, cōspiratione facta in ipsum à ceteris principibus. Ru-  
fticam ego plebem facilius translata crediderim, quā militares domos.  
Nam opes deferere, & in deserta loca proficisci, facilius agricultores, quā  
terra possessores solent.

## CAPVT IIIII.

**H**ildesemensi ecclesiae tum praerat Echilo, uir precipuus, in diuina fer-  
uens religione: qui collegium sancte crucis intra urbem fundauit, & fo-  
ris in mōte collegium sancti Mauritiij: ubi fertur post decimū septimū annū  
tumultus. Godehardi quoq; temporibus monasteriū erat in eodē monte:  
nam ibi legitur infirmatus decubuisse, & occubuisse, sub manib. nepotis sui ex  
sorore, qui erat tum loci abbas. Memoria huius pōtificis est in grandi illa co-  
rona, quae uisitur in ecclesia Hildesemensi. Eodē tempore, hoc est 1067. Al-  
bertus Zelo, ut aiunt, Coloniēsis à curia proturbatus, Bremæ sedit priuatus,  
solitarius & quietus. Cum nihil residuum haberet, fertur de rapinis pauperū  
uir tantus uictitasse, ex bonis sanctarū congregationū. Toto autem septen-  
nio quo superuixit archiepiscopus, ex illo famoso & opulento Bremenlis ec-  
clesiae hospitali, nulla prorsus data est elemosyna. Quod ex eo inhumanū &  
miserabile uidebatur: quoniam et tempus famis incubuit, & multi ubiq; pau-  
peres inuenti sunt in plateis mortui. Post triennium autem expulsionis suae,  
**B** uoti compos effectus, in pristinum gradum curiae restitutus est: moxq; succe-  
dentibus prosperis, summam rerum, quae est uice dominatus, iam septies cō-  
sul promeruit. Deliberans uerò iam tunc, cautē esse ambulandum erga prin-  
cipes, ut non eos, ut prius, offenderet, Coloniensi primum pontifici reconci-  
liari uoluit. Deinde ceteris, in quos ipse, uel qui in ipsum peccasse uideban-  
tur: deinde remotis ecclesiae suae impedimentis, pro cuius exaltatione tam in  
ambitu curiae quā in profusione pecuniae uidebatur improbius, non fuit  
ociosus. Quo tempore Plisnam, Dusburg, Groningen & Suiticum acquisi-  
uit. Vuildenshusen praepositurā Bremæ uicinam propē in manibus habuit,  
& Rosenuelde Hamburg proximam. Disposuit uerò archiepiscopatus suo  
duodecim subicere episcopatus, q̄s ex sua diuideret parrochia: praeter eos  
suffraganeos, quos in Dania ceterisq; gentibus Hamburgensis teneret ec-  
clesia. Ita ut primus esset in Palmis, secundus in Helginstad, tertius in Race-  
burg, quartus in Oldenburg, quintus in Mekelnborg, sextus in Stāde, septi-  
mus in Lismona, octauus in Vuildeshusen, nonus in Bremis, decimus in  
Verda, undecimus in Rāsola, duodecimus in Frisia. Nam Verdēsem episco-  
patū se facile posse adipisci, non semel est gloriatus. Postremò autem in Ham-  
burg iam apertē laborauit patriarchatum efficere: sed euanuit spes eius. Ut  
autem huius pōtificis magnū animū intueamur, paulo abeamus retrorsum.

## CAPVT V.

**A**nno pontificatus sui octauo ac decimo, totius parrochia diligētissimā  
adhibens prouisionem, metropolim Hamburgum in principio laeti-  
ciae suae collocauit: foecūdissimam matrem gentium illam appellans, omniq;  
deuotionis officio uenerandam protestatus, tanto ei maiorem deberi conso-  
lationem,

lationē, quanto maiori ac crebriori plaga, maioribus insidijs ac diuturna paganorum incurfione cribraretur. Ergo accepta pace temporū, dum saepe meditatus est Hamburgensem munire simul & ornare Toparchiam, quoddam utile excogitauit contra barbaricos incurfus opus, in quo & populus & ecclesia Transalbianorū perenne haberet praesidiū. Igitur cum prouincia Sturmariorū, in qua Hamburgū situatur, tota in planiciem campi descendat: ex parte qua Vuandalos attingit, neq; mōs, neq; fluuius intercipit, unde sit incolis praesidiū, absq; syluis passim occurrētibus, quarū latebris protecti incertis aliquando incurfibus repentini superueniunt, nostrosq; securos, & nihil mali suspicantes uel perimunt, uel, quod morte est grauius, captiuos abducunt: solus in ea regione mons prominet iuxta Albim fluuium, longo in occasum dorso protensus, quem incolae Sullenberg uocant, inter uillas Nigen genstede & Blankenese. quem pōtifex opportunū arbitratus, ut in eo firma retur castellum, quod genti foret praesidio, statim syluam quae montis uerticem obtigit, excidi, mundariq; locū praecipit: ita quod multis impensis, multoq; hominū sudore uoti compos effectus, montem asperum fecit habitabilem. ubi praeposituram constituens, cōgregationem decreuit facere Deo seruientium: ibiq; locauit caput sancti Secundi, Thebeorum ducis, cuius patrocinia Metropolitanus in Italia largiente quondam Taurinensi episcopo, suscepit. Sed haec institutio frustrata est, quia conuersus est locus in speluncam latronum. Ex illo enim quasi praesidio quidam ex nostris populares, quibus tuendis fuerunt collocati, depraedari ac persequi coeperunt. Ideoq; postea locus ille concursu & tumultu comprouincialium est destructus: populus uero Nordalbingorum exinde per archiepiscopum excommunicatus. Cōperum est, in gratiam ducis esse factam demolitionem, qui de suo more foelicibus ecclesiae actis inuidebat. Nam idem dux eodē tempore relicto ueteri castello Hammaburg, nouum quoddam praesidium sibi suisq; fundauit, atque firmauit iuxta Albim fluuium, & lacum qui Alstria uocatur: ita nunc ut cordibus, ita & mansionibus desperatis, dux nouum, archiepiscopus coluit uetus oppidum. Diligebat sane pōtifex eum locum sicut omnes praedecessores sui, eo quod metropolis sedes omnium septentrionalium fuerit nationum, et caput totius, quam lata est, parochiae. Ideoq; durante pace trans Albim, omnes ferē solēnitates Paschae ac Pentecostes, itemq; Dei matris ibi celebrauit, collecto ex singulis congregationibus maximo cleri numero: praecipue his, qui uocalitate sua mulcere poterant populos. Et tunc plenario gaudens ministrorum ordine, omnia diuinæ seruitutis officia cum magna iussit reuerentia compleri. Cui nimirum gloriae tantum hic pōtifex indulgit, ut non iam latino more ecclesiastica uellet obire ministeria: sed nescio qua Graecorū consuetudine per tres missas quibus astitit ubicunque esset, duodecim modulari praecipit officia. Omnia magna quærēs, omnia mirabilia, omnia gloriosa diuinis & humanis in rebus: & ideo dicitur fumo delectatus aromatum, & fulguratione luminum, & tonitruis altē boantium uocum: quae omnia traxit à lectione ueteris Testamenti, ubi maiestas Domini scribit apparuisse in monte Sinai. Et alia multa facere solebat, rara modernis: praesertim ignorantibus scripturas, cum tamen sine scripturarum autoritate ille nihil faceret. Iam tunc scilicet meditatus, ecclesiam suam diuitijs & honore caeteris anteferre, si papam & Imperatorem suae uoluntatis morigeros inueniret. Eos igitur sibi omnibus modis complacere laborabat.

## CAPUT VI.

**G**oslariam Saxoniae urbem, tertius Heinricus fertur amplificasse: quam primus eius nominis, magni pater Othonis, urbium amator, in formam ciuitatis erexit: pater huius Heinrici tertij prouexit: sed iste tertius Heinricus,

A  
 cts, ingenibus usus regni opibus, magnum in modū illustrauit. in qua con-  
 struens sibi palatium, duas omnipotenti Deo cōgregationes instituit: unam  
 ex his donans regendā tenendamq; nostro pōtifici, eo quod illi indiuiduus  
 comes & cooperator assisteret ad omnia. Sed cum postea rege puero, zelo  
 (ut ferūt) archiepiscopi Coloniensis eiectus ē curia, quod diximus, delituis-  
 set in summa patientia, saepe cum fletu asseruit, omnes prādecessores suos in  
 persecutione ducum, & malitia parochianorum, uelut in igne recoctos. Nō  
 diffidit, se quoq; pro ueritate ab eisdem pro martyrio coronandum. Sed ino-  
 pia sedentis tunc in ocio episcopi, multa suorum scelera dissimulare coegit,  
 ut penē de rapinis uiueret, quando nihil illi reliquum fecit aut propria largi-  
 tio, aut ducum uastatio. Interea tertio expulsionis suae anno uoti compos ef-  
 fectus, in pristinum gradum curiae sub puero rege Heinrico quarto, est resti-  
 tutus: moxq; succedentibus sibi prosperis, summam rerum, qui est uicedomi-  
 natus, iam septies consul promeruit: nactus dignitatem, in qua animi magni-  
 tudinem posset ostendere. Iam tunc cautē esse ambulandum apud principes  
 secū constituit, admonitus periculo pristino: quapropter Coloniensi archie-  
 piscopo primū reconciliari, deinde ceteris, in quos ipse, uel potius qui in  
 illum peccasse uidebantur. Deinde remotis ecclesiae suae impedimentis, pro  
 cuius exaltatione tam in ambitu curiae, quam in profusione pecuniae uideri  
 poterat improbius, non fuit ociosus. Accessit ad gloriā praesulis, qd in anno  
 sui cōsulatus famatū illud colloquiū, diaetam nostri uocant, Caesaris Heinrici  
 quarti cum rege Danorū, celebratū est. Zueno is erat, ad contumeliam usq;  
 perueniens in Luneborg: arcem dico, nam oppidum necdum erat ea tempe-  
 state: ubi sub obtentu foederis, cōtra Saxones Imperatori sunt arma promissa.  
 Eodem anno restincta est illa cōspiratio prima in regem facta, in qua dux  
 Otho Bauaria pulsus, Saxo generē, & Magnus dux Saxoniae diu conflictati,  
 deuastata per uniuersum annum Saxoniam, tandem consilio archiepiscopi  
 ut in potestatem se regis constitueret: cum repeteret Otho, Othonū prouin-  
 ciam: Magnus defenderet, quod a patribus accepisset. Rex ducatum Bava-  
 riae, qui fuit Othonis (descendit enim ex Heinrico fratre magni Othonis)  
 dedit Vuelpo duci, qui auus erat Heinrici Leonis. Archiepiscopus noster  
 bona ecclesiae recepit, quae antea Magnus occupasset. Sed ad finem uitae uer-  
 gens Albertus, talibus implicatus melancholiae cogitatibus, qd ecclesiae cae-  
 tera bona recuperare non posset, ut penē mente alienatus conspiceretur: fe-  
 citq; ea quae in alijs saepe culpauerat, detrahare hospitalibus, dare adulantibus,  
 suos pugno caedere, & multa praeterea, quae germanus eius, Palatinus  
 comes Fridericus, de longinquo adueniens, in eo redarguerat: sed frustra.  
 Laborabat quadam ex parte infamia, sed immeritus, quod magicis inserui-  
 ret: cum reuera uelut demones execraretur magicos. Multa tamen signa da-  
 bat propinqua mortis. Hoc phitonissa nunciauit, hoc medici praedicabant:  
 sed ille auscultabat assentatoribus, qui promissere uitam illi diuturnā, donec  
 poneret inimicos suos scabellum pedum suorum. Sed ea spes uana fuit.

## CAPVT VII.

M  
 Agdeburgensi ecclesiae post Engelhardū praeficitur Vuernerus, quem  
 alij scribunt Vuelsilum, siue Vuelsilonē: germanus hic erat frater An-  
 nonis, archiepiscopi Coloniensis, ut diximus. Huius autem tempora incide-  
 runt in statum Saxoniae luctuosum. Nam primo deturbatus a rege Bauaria  
 dux Otho, Magnum Saxonie ducem, de Othonum successione in Saxoniam,  
 fatigabat, ferens se a fratre magni Othonis originē ducere: & ideo Saxoniae  
 possessione et iure dominij non alienum, cum ē diuerso defenderet Magnus  
 successione. Sed rex Henricus inter eos rem diremit, adiudicans Othoni  
 partes Saxoniae ad Visurgum: quae postea petitione ducū appellata est Göt-  
 tingensis,

tingensis. Alia quoque calamitas incidit temporibus Vuetsilonis archiepiscopi. nam Henricus rex cum in Goslaria crebrius commaneret, Saxonibus iugum tributorum ingrauescebat: illi non ferentes, regi se opposuere. in quibus tum praefuere, Magnus dux Saxoniae, Otho dux de Visurgo, olim Bavariae, Vuetsilo Magdeburgensis archiepiscopus, & Bucko Halberstadenfis. Congressuri praelio, placantur Saxones ut conquiescerent. Cum illi fiderent Treugis, rex imminabat imparatis, & oppressit: multi cecidere, nonnulli capti sunt. Sed Rodulpho Sueuo captiosa res displicuit: effecitque ut laxarentur captiui. Iterum congregiuntur, & superant Saxones. Tertio quoque vincunt praelium. tum subuerterunt arcem Hatesburg, quam libertati Saxonum uidebatur rex imposuisse. Breuius ista percurro temporum annotatione, quod plenius in Saxoniam nostra sint explicata. Rex tamen non quieuit: aduersus Saxones, saepe uictus, reparat vires. Nouissimo autem praelio rex factus superior, adeo tamen sensit vires imminutas, ut Saxones denuo non adoriretur. Sed uno horum praelium concidit Vuetsilo archiepiscopus Magdeburgensis, ordine octauus, postquam annis 14. praefuisset ecclesiae. Impletum est uerbum Christi: Qui gladio pugnat, gladio peribit.

## CAPVT VIII.

**M**imigardeuordensi deinde ecclesiae, quae circa haec tempora nomen mutauit, ut Monasteriensis uocaretur, praeficitur Fridericus, uir nobilis, frater marchionis Misnensis, praepositus fratrum in ecclesia Magdeburgensi, quem fratres legitima electione sufficere nitentur Engelhardo, & praeficere ecclesiae Magdeburgensi archiepiscopatu. Sed preualuit ius regium, et uoluntas Henrici quarti, per auctoritatem Annonis Coloniensis archiepiscopi: cuius germanus frater Vuetsilo praeferebat Friderico, nobilis nobili, nescio an bonus meliori. Hoc scio, si ius uoluisset liberae electionis, Fridericus Vuetsiloni erat antefereendus. Sed Fridericus ibi praeteritus, regia ordinatione ad ecclesiam peruenit Monasteriensem: quam laudabiliter gubernauit, amplissime dotauit. Locuples enim fuit, & ecclesiam sancti Mauritij extra muros urbis exaedificauit, fratribus impleuit, stipendia procurauit, & perpetuum sui nominis monumentum ibi reliquit: sepultus in eadem, postquam multis multa cum laude illi praefuisset annis. Non sensit ille tumultum Saxoniae, sub Henrico quarto se miserabiliter lacerantis: cum primum mutuas in se vires uertissent: deinde cum Henrico rege congressi, alternas vires attenuassent. Exclusi Visurgo pontifices, alienos se fecerant a caeteris Saxonibus: nomen etiam suum ab alijs despectentes, ut Vuestphali quam Saxones dici mallent. Inualuitque adeo illa consuetudo, ut cum Transuuiserani amem appellari Vuestphali, ad differentiam Ostphalorum qui Vuiseram transissent, nunc summam ducant iniuriam, si quis illos Saxones uocitet: cum nihil sit erubescendum in hoc nomine. Imo etiam multa insunt, de quibus cum gloria iactarent, si saperent. Videlicet modestiores & mansuetiores, moribusque tractabiliores sunt Vuestphali, & haberi uolunt, caeteris: ad seruendum, dum egent, infatigabiles: ad imperandum, dum surgunt, intolerabiles. Hoc illis testimonium debet Saxoniam, pro contemptu sui nominis.

## CAPVT IX.

**I**nterea Albertus, archiepiscopus Hamburgensis, in summa rerum gloria positus, licet crebra corporis molestia pulsaretur, negotijs tamen publicis deesse noluit, a Rheno ad Danubium, indeque cum rege portatus in lectica. Aiunt quidam, regia sponsione expromissum esse, ut in proxima solennitate paschali conuentum apud Traiectum Rheni principibus indiceret: ibique confirmarentur omnia, quae de Lauressa & Gorbeia, & caeteris desiderauit anima eius. Alij autem aiunt, archiepiscopum callidis a rege dilationibus protractum esse,

A Etum esse, quo scilicet Laurellam dimittens, ubicunq; mallet, bis tantū in re-  
 gno reciperet suæ ecclesiæ donandum. Verū ille pertinax inhæsit, dum nil  
 aliud uelle respondit. Tandem frustrato nisu decidens, unâ & uitam & Lau-  
 rellam cum cæteris ecclesiæ bonis perdidit. Siquidem mores uiri licet sem-  
 per à communi mortalium habitudine dissentirent, circa terminum uerò in-  
 humani intolerabilesq; & alieni à semetipso uidebantur: maxime à die de-  
 pulsionis suæ, siue deuastationis parochiæ. Post illam, inquam, diem, pudore  
 doloreq; maiori, quàm sapientē uirum decuit, permotus, quia recuperan-  
 di bona ecclesiæ consilium non inuenit, ex nimia sollicitudine impos mentis  
 effectus est. Porrò quæ per eum deinde gerebantur, alicuius errantis uel de-  
 sipientis uidebantur. sicut est illud, quia mortem integrā uigilando, diemq;  
 transegit dormiendo: illudq; quod à ueritate auditum auertens, ad fabulas  
 & somnia est conuersus. Sed & illud, quod elemosynarū oblitus in paupe-  
 res, omnia quæ habere potuit, dispersit in diuites, præcipuè adultores: &  
 quod dispersis bonis ecclesiæ, cum nil haberet residui, de rapinis miserorum  
 uixit, & legitimis sanctarum congregationum: & quod de præpositura uilli-  
 cationem, & de hospitali præposituram fecit. Illud etiam, quod facilius solito  
 prouocatus ad iram, aliquos manu percussit, usq; ad sanguinis effusionem:  
 multos etiam ignominiosis exasperans uerbis, non minus se quàm illos in-  
 honorauit. Talis ille circa finem à se totus alteratus, & pristina uirtute pessun-  
 datus, quid uellet aut nollet, nec sibi nec ulli suorū poterat satis esse notum.  
 Cæterū talis erat eloquentia eius usq; in finem, ut si eum audires concionan-  
 tem, tibi faciliè persuaderetur, omnia per illum plena ratione magnaq; autori-  
 tate fieri. Insignis autem uir, germanus eius, comes Palatinus Fridericus, au-  
 dita fama declinationis tantū uiri, ad corripiendum fratrem usq; Lismonam  
 peruenit. Sed frustra commonēs eum de his, quæ honorem eius attingerent,  
 uel salutem, dolens abscessit: Nothebaldum, qui erat uir maleficus, adulator  
 & mendax apertissimus, suosq; pares accusans, qui suis maleficijs illustrē ui-  
 rum circumuenerint, suisq; dementem reddiderint consilijs. Pōtifex autem  
 eo tempore ad tantam peruenit infamiam, ut magicis inseruisse uideretur ar-  
 tibus. In principio autem introitus sui unum dixit uerbum, quod utinā non  
 dixisset: Omnes scilicet episcopos qui ante eum præfuderunt, obscuros fuisse  
 atq; ignobiles: solum se generis ac diuitiarum titulis excellere, quippe qui  
 esset comitis Baurariæ filius: porrò dignū, qui maiorem sortiretur cathedrā,  
 uel ipsam sedem Apostolicā. Talia non semel iactātem, uisito magna perter-  
 ruit. Vidit igitur nocte intempesta, se in conuentum ecclesiæ raptū, ubi mis-  
 sarum solennia essent celebrāda, astantibus quindecim suis ex ordine præde-  
 cessoribus, ita ut proximus qui ante eum fuit Alebrandus, quem nouerat,  
 perageret missarum solennia. Cumq; lecto euangelio, sacerdos ad suscipien-  
 da offerentium munera, conuersus uenisset ad Albertū, qui stabat in ultimo  
 chori loco, mox toruis eum luminibus intuens, oblationem eius repulit, di-  
 cens: Tu homo nobilis & clarus, non potes habere partem cum humilibus:  
 & abscessit in hæc uerba. Sanè ex illa hora pœnitens super his quæ incautē  
 protulit uerbis, omnes prædecessores suos ingenti ueneratione habuit: seq;  
 multis gemitibus testabatur indignum sanctorum consortio uirorum. Vn-  
 de etiam mox statuit, per singulos antecessorū suorū anniuersarios, de cur-  
 te Bramstede conuiuia dari fratribus plenissima, atq; pauperibus. Nam & a-  
 lia multa pœnitentiæ signa reliquit: sicut est illud, quod post diē uastationis  
 siue expulsionis suæ, nunq; balneis usus est, nūquam hilaris uisus: rarò pro-  
 celsit in publicum, uel ad conuiuium, nisi ad curiam isset, aut diei festi neces-  
 sitas poposcisset. Multoties etiam amarissimè fleuit, si quando uastationis ec-  
 clesiæ recordatus est, siue cum ipsos uastatores conspexit. In die itaq; Natalis  
 Domini,

Domini, cum dux Magnus praesens adesset, magnaque recumbentium multitudine, hilares conuiuere finitis epulis, plausum cum uoce leuauerunt: quod tamen non parum displicuit archiepiscopo. Itaque innuens fratribus, qui simul aderant, praecipit cantori, ut imponeret antiphonam, Hymnum cantate nobis. At uero laicis denuo perstreptibus, inchoari fecit: Sustinuimus pacem, & non uenit. Tertio uero cum adhuc in poculis ulularent, iratus ualde, leuari praecipit mensam, magna uoce pronuncians: Conuerte Domine captiuitatem nostram. respondentibus fratribus, Sicut torrens in austro. Ita fugiens in oratorium, sequentibus reclusis, fleuit amare.

## CAPVT X.

**H**Aec & alia in eo compunctionis lamenta uidebantur: adeo ut monachatum inire aliquoties desiderauerit, aut in ministerio legationis suae in Vuandalia, uel in Suedia, siue in Islandia mori optauerit: aut per sanguinem pro Christo immolari. Tandem seua morum perturbatione infractus, cum simul fortunae exterioris quateretur aduersis, etiam corpore saepe debilitari: dumque medicorum auxilio studuit ualetudinem corporis recuperare, in grauiorem mox recidit infirmitatem. Quo etiam tempore ad curiam rediens, graui casu iumentum sublabentis atteritur. Tunc ergo compunctus, fleuit amare: correctionemque suae uitae Deo promittens, statim conualuit. totumque superuicens triennium, multa compleuit: non tamen omnia quae promisit. Ex eo nimirum balneis, quae fere quotidie suevit habere, sale recoctis abstinuit, & reliquis multis quae graua esse populo persensit. Quo tempore superuenit quaedam mulier, habens spiritum Phitonis. Haec uoce publica dixit omnibus, celerem archiepiscopi transitum affore intra biennium, nisi forte conuerteretur: hoc & medici testati sunt. Erant autem cum pontifice, Nothebaldus, & alij pseudoprophetae, uaticinantes illum tam diu uicturum, donec omnibus inimicis suis imperaret. quibus maior tum fides fuit. Visum est eo tempore apud Bremam cruce sudasse lachrymis, porci canesque ecclesiam uiolasse: quod in religionem uersum est. Nam uix poterant ab altaris crepidine repelli. Visi sunt & lupi in suburbanis gregatim ululantes, horribilique iurgio certasse cum bubonibus. Haec ab omnibus sinistra iudicabantur, in episcopum respicere. Decimaquarta ergo die ante obitum suum Goslariae positus, ex consuetudine sua nec potionibus, nec phlebotomijs contineri uoluit. quare grauisimo dysenteriae morbo correptus, & usque ad ossa attenuatus, suae adhuc immemor salutis, reipublicae negotia usque ad extremam sui transitus tractauit horam. Aderat ibi Magdeburgensis episcopus Vuesselus, & alij fratres, petentes ut admitterentur, quos tamen ipse excludi praecipit a ianuis, dicens: Se praemunditia infirmitatis indignum, ut ab aliquo uideretur. Soli enim regi concedebatur aditus agrum uisitandi, quem dilexit etiam usque in finem. Illum ergo suae fidei admonens, & diuturni seruitij, multa instantia commendauit illi ecclesiam suam. Adamatus quidam medicus Salernitanus, ante triduum mandauit archiepiscopo obitus sui diem proximum adesse: quod ille dissimulans, Nothebaldum solum praeculis habuit, qui spondit ei mutationis suae horam cito affuturam: quod idem carnifex uerum dixit.

## CAPVT XI.

**A**Nnus erat post mille 72. cum adhuc Albertus archiepiscopus de praesenti uita speraret. Nouit cognitor secretorum Deus, si melior fuerit in conspectu Dei quam coram hominibus apparuerit: homo namque uidit in facie, Deus in corde. Ferunt eum ante obitus sui diem tertium decubuisse, ita ut a lecto surgere non posset. Nam tanta uiro fuit animi magnitudo, ut in grauisima corporis infirmitate nunquam ab aliquo uellet sustentari, nunquam emitteret uocem doloris: cumque iacens in extremis, horam uocationis suae iam sciret

A iam sciret imminere, crebris iteravit suspirijs: Heu me, inquit, infelicē & miserum, qui tantas largitiones in uanū effudi. Potuissē esse beatus, si in usus pauperum ea conuertissem, quæ pro seculi gloria me distraxissem nunc nimium doleo. Nunc autem illum adhibeo testem, cuius oculus intuetur abyssi profunda, quod intentio cordis mei tota fuit super exaltatione ecclesiæ meæ: quæ licet mea culpa exigente, uel odio inimicorū superante, extenuata nimis uideatur, sunt tamen amplius quam duo millia mansi, quos ex hereditate mea, uel labore meo gratulor adiectos ecclesiæ. Quo sapientis uiri sermone cognosci potest, quod etsi peccauerit in aliquibus, ut homo, sæpe tamē ut uir bonus poenituit de erratis. Die medio sextæ feriæ, cum adhuc de hac uita speraret, cæteris ad epulas sedentibus, in agonia solus iacens clarissimus pontifex spiritum exhalauit, 17. Calendas Aprilis, indictione decima, anno Alexandri papæ undecimo, Heinrici regis quarti, 16. qui est annus Christi 1072. Præter libros sanctorumque reliquias & uestimenta sacra, ferè nihil inuentum est in thesauris tanti uiri. Quæ tum omnia rex accipiens, unā cum præceptis ecclesiæ tulit etiam manū sancti Iacobi Apostoli, quam dono Vitalis Venetiartū episcopi, ab Italia archiepiscopus rediens, quondam secum deportauerat. Igitur corpus archiepiscopi magno totius regni stupore à Goslaria Bremā deportatum est 10. demum die, quod est in Annuntiatione beatæ Mariæ uirginis: sepultumque est in medio chori nouæ, quam ipse cōstruxit, Basilicæ. Afferunt tamen quidam, quod cum ita solus iacuisset, de omnibus gestorū suorū offendiculis amaram gesserit poenitentiam, flens & eiulans, dies se suos perdidisse. Tunc demum cognouit quā parua, imò quā misera est nostri pulueris gloria: quia omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Sepulchrum eius hodie uisitur in ecclesia Bremensi, leuato ante chorum sarcophago, cum tamen ante illū sæpe rogasse ferant, ut sepeliretur in ecclesia metropoli Hamburgi, quam sicut prædecessores sui omni semper amore censuit esse colendam. Ibi namque dum uiueret, plerumque totam æstatem transigens, præcipuas, ut diximus, solennitates cū magna gloria celebravit: ibi promotiones ecclesiasticorum ordinum legitimis temporibus, graui prorsus reuerentia, sæpius ministravit: ibi tempus & locum, quo à nostris ducibus, seu à proximis Vuandalorum gentibus, & eorum principibus, siue à cæteris Arctiæ gentis legatis adiri posset, ex more constituit. tantum honorem destructæ & deuastatæ urbi, tantumque honorem seruans exhaustæ matri, ut in illa diceret impletum scripturæ uaticiniū: Latere sterilis quæ nō parit, quia multi filij desertæ magis quam eius quæ habet uirum.

## CAPUT XII.

Sed ea tum urbs & calamitosa et foelix, bis illo, quo mortuus est pontifex, Anno à Vuandalis euastatur: calamitosa perinde, quod tam crebris barbarorum incuribus uexaretur, posita in signū, cui uastitas à sæuientibus Vuandalis crebrius inferretur: sed foelicē prædico, quæ cum Christus in causa esset, & odium Christianismi, sanctorum martyrum purpuratorum numero abundabat. Quid enim aliud in causa fuit, cur incurrerent infideles, nisi ut se de Christianis uindicarent, quorum inextricabile odium induerant ex illo die, quo cæso ad aram Godschalco optimo principe, Christiani nominis acerrimo propagatore, & iuga fidei & tributorum onera pariter abiecerunt: placati aliquando ab archiepiscopo, qui euerūt, bene polliciti de suscipienda, imò recipienda fide quam abiecerant. Sed cum odium ex leuissimis, aut forte nullis causis recrudesceret, prima Hamburg impetum sensit. nam attenuatis uiribus, hostes excludere non potuit. magis in fuga aut patientia spem collocauit. Per Albim dilapsi nonnulli euaserant: alij ferro perempti, aut in captiuitatem abducti, preciosas animas Christo cōsecrabant. Durabat ea calamitas,

N quam

quàm diu Vuandali impacati, perfidiam in Christi fidem continuerunt. Boni interim pontifices in circuitu placuere gentem, & multos reducere: sed populariter ad fidem non redierunt ad multa post hæc tempora. Quo etiam tempore Heinricus rex Othonē Bauariæ ducem, Bauaria eiecit, etiam in Saxonía insectatur: quòd Albertus archiepiscopus, qui sapientia sua rem sepe diremeret, iam de medio sublactus erat.

## CAPVT XIII.

**H**einricus interim quartus rex, indomitus iuuenis, cū omnia sibi licere putaret, de ecclesijs & abbatijs ad nutum disponebat: memor quod pater suus etiam Romanos pōtificates rogatus dedisset. Misit in urbem Romam solennes oratores, Annonem archiepiscopum Coloniensem, Hermannum Bambergensem episcopū, pro afferendis inde pecunijs Imperio, ab Romanis ciuibus tum constitutis. Mira rerum conuersio. Tum pensabant Romani tributa nostris imperatoribus, nunc aurum Germaniæ non satisfacit urbi Romæ. Sed ijdem oratores attulere querimoniam super Imperatore, ab Alexandro papa tertio, quod simonię uitio non temperaret. Ea fuit rerum noua conuersio. nam tempore ex illo multi episcopi ac principes Heinricum auersantur. Gauisi sunt Saxones, iamdudum infensi eidem regi, ex causis memoratis, quòd tributo gentem grauaret, & Othonē illustrem principem de genere Saxonum ab Heinrico magni Othonis fratre descendente, eiecisset Bauaria. Accessere simoniacæ labi in rege alia crimina, quòd conthoralem suam non pro dignitate haberet. Ea cum literis & nuncijs Romā perferrentur, Gregorius 7. qui iam tertio Alexandro successit, familiariter illi ex puero notus, regem denuò ad Synodalia responsa, & sedis Apostolicæ audientiam euocauit: sed rex secundā & tertiam eius uocationē dissimulauit, quòd indignum haberet sedem Apostolicam agnoscere, quam pater eius pro arbitrio, quibus uellet cōtulisset. Anno Coloniēsis, Sifridus Mogūtinus, Vuesilo Magdeburgensis archiepiscopi, Bucko Halberstadenlis, & omnes Saxonix principes, Apostolicis mandatis contra regem subscripserunt: solus Brementis iam recens ab illo promotus, fauebat regi. Sed Anno archiepiscopus plenus dierum, & sanctitatis operibus, tunc decessit. Hermannus Bambergensis, qui pridem nuncius abibat Romam cum Annone, cum de symoniaca eius assumptione cōpertum esset, Romæ deponitur: sed rex illi Ropertū quendam surrogauit: ita de episcopatibus, quasi suis de officijs disponens.

## CAPVT XIII.

**I**n ecclesia tum Paderburnensi Imado successit Poppo, pridē Bambergensis prepositus, qui illi præfuit annis solis septē: qui hanc solam reliquit memoriam, quod post incendium ciuitatis dedicauit monasterium apostolorū Petri & Pauli, cum ciuitate renouatum. Habitū est tum apud Vuormaciā solenne inter principes colloquium, diætā nostrī uocant, præsentē Heinrico rege. In quo uniuersi penē teutonici episcopi præter Saxones, Gregorio papæ subtraxere obedientiam. Sed tamen eodem anno colloquium maximum apud Oppenheim factū est: ubi penē totius regni principes, sed maxime Saxonum, & Alemannorum, hoc est, Sueuorum, subiectioni regis renunciauere. causam prætendentes, quod à duobus summis pontificibus uocatus ad satisfactionem, non uenisset: & pro hoc contemptu sententiā excommunicationis in Romana Synodo reportasset. Hac cōmotione rex coactus, humiliter Romam, utpote ueniam à summo pontifice petiturus, inimicis suis hoc non sperantibus, tetendit. Inuentoq; papa in oppido Italiæ satis munito, per triduum ante portam arcis cui inerat pōtifex, deposito omni regio cultu, discalceatus & laneis indutus perstitit: nec prius cum multo fletu Apostolicæ benedictionis auxiliū & cōsolationem implorare destitit, quàm omnium

**A** omnium qui ibi aderant precibus & lachrymis intercedentibus, laxato demum anathematis uinculo, in communionis gratiam, & sinum matris ecclesiae receptus est: acceptis ab eo in futurum uitae suae correctionis securitatibus multis. Accepit igitur rex in mandatis, ut Romam profectus, anno integro inde non discederet, equum non ascenderet: sed in ueste humili circumiret ecclesiarum limina, orationibus & ieiunijs reddens dignum poenitentiae fructum, quod rex humiliter adimplere satagebat. Videntes ergo Cardinales, & hi qui de curia erant, quia praetimore sedis Apostolicae contremiscunt potestates, & curuantur qui portant orbem, suggererunt Apostolico, ut transferret regnum in alium uirum, dicentes, Indignum esse illum regnare, qui de publicis esset conuictus facinoribus. Percontanti autem Apostolico, quis nam in Alemania dignus esset tanto culmine? designatus illi dicitur dux Sueviae Rodolphus; quod scilicet fuerit uir bonus, & amator pacis & circa cultum sacerdotum & ecclesiarum optimè affectus. Cui papa auream transmisisse fertur coronam, hoc uersu intitulatam:

Petra dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

Præcepisse quoque fertur Moguntino & Coloniensi, cæterisque episcopis & principibus, ut adiuuarent partes Rodolphi: & constitutus est rex. Quotquot ergo receperunt uerbum pontificis, adhaeserunt Rodolpho: additi quoque sunt parti eius Saxones & Sueui. Ceteri principes ac ciuitates, quae sunt circa Rhenum, omnes quoque Francorum populi, non receperunt eum: eo quod iurassent regi Heinricho, & iuramenta temerare noluerunt. Porro Heinrichus consistebat Romae, mandatis obsecundans, ignarus malorum quae aduersus ipsum gerebantur.

## CAPUT XV.

**I**gitur Rodolphus dux Sueviae, fauentibus Sifrido Moguntino & Adalberone Vuirzburgensi, Bertholdo quoque duce Carinthiae, in praesentia quorundam Romanae sedis legatorum, apud Forchem in regem eligitur: & ab eodem Sifrido apud Moguntiam 12. calendas Aprilis, anno 77. post mille, in regem consecratur. Vbi facta seditione, eodem die multa uulgi turba caesa est ab eius militibus. Vnde uulgus accensum, multos ab illis obruncauit: cæteros quoque in curtem palatii fugauit. ipsas quoque regias aedes incendere uoluit, nisi episcopus Sifridus pro ueloci Rodolphi discessione, obsidem se interposuisset. Ita Rodolphus & cuncti qui cum eo uenerant, eiectione sunt. Sifridus quoque archiepiscopus magnis blasphemijs eliminatus, Moguntiam non intrauit amplius. Surrexit interea quidam Strasburgensis, nunc Argentinenensis episcopus, amicissimus regi Heinricho: & uelociter petens Romam, diu questum regem inuenit inter memorias martyrum diuersantem. De cuius aduentu rex laetior effectus, coepit percontari de statu regni, si omnia in pace consisterent. Cui ille intimaui, nouum principem electum: factum quoque opus esse, ut quototies Teutonicam terram reuideret, ad confirmandos amicorum animos, & conatus hostium comprimendos. Cum quoque rex praetenderet, nequaquam sibi sine licentia sedis Apostolicae abeundum: ille respondit, Noueris nihil dubitans, hoc omne conspirationis malum de hoc fonte manasse: imò si tibi rectè consulis, clanculo tibi abeundum est. Egressus ergo rex noctu urbem, magnis itineribus reliquit Italiam: firmatis quoque rebus pro tempore in Longobardia, uenit in Germaniam: laetati quoque sunt de insperato aduentu principis, omnes ciuitates Rheni, & uniuersi qui fauebant parti eius. Congregauit quoque exercitum grandem, ut expugnaret Rodolphum. fuit quoque cum eo famatus ille dux Godfridus, qui postea liberauit Hierosolymam, multique magnates. Saxonum uero atque Sueuorum exercitus erat cum Rodolpho, qui tum obsedit Vuirzburgum: sed terrore Heinrichi de Italia reuersi, mox abscedit. Heinrichus rex cum exercitu Sueuiam petit, Hugonem sibi aliosque inibi rebelles, prouincia

N 2 uastata

uastata eijcit. Hæc ita feruntur in annalibus: sed quod de regis in urbem relegatione dicitur, apud me fidem non habet. Nam hoc præcipere papam, hoc recipere Imperatorem tam ferocem, ueri similitudinem non habet. Cætera, quæ aliorum quoque testimonio fulciuntur, facile accipio. Certum est enim, electum in Heinrici locum esse Rodolphum Sueuum, eosque crebrius fuisse congressos apud fluuium Vnstrom, ubi magno prælio decertatum est, ac Heinrico uictore cæsus est Vuetsilo Magdeburgensis archiepiscopus, Magnus dux despoliatur uix effugiens: Hermannus comes eiusdem ducis patruus, & Albertus Vuormaciensis episcopus, capiuntur: ceciderunt multi fortes ex Saxonibus uiri. Poppo quoque uir fortis, ex Heinrici parte cecidit, cum non paucis. Deinde prælium fuit iuxta Fladechem anno proximo, ubi primo congressu territi Saxones, terga nudant. ibi dux Bohemæ Vratislaus, Heinrico militans, regalem Rodolphi lanceam est adeptus: quæ exinde semper quemuis illius gentis ducatu insignem, in omni festiua processione præcedit.

## C A P V T X V I.

**M**agdeburgensi inde ecclesiæ, cæso Vuetsilone, præficitur per Rodolphum Sueuum, cuius partibus militans prædecessor cecidit, uir bonus, Harduicus Francus, genere militari, atque baronum, canonicus pridem Moguntinus: qui ut potuit, in nouo pontificatu promotoris sui partes adiuuit: præfuitque annis 22. Cuius temporibus, anno uidelicet 80. post mille, conuentus triginta episcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ, apud Brixinam Noricam, iussu Heinrici regis, habetur contra Gregorium septimum: quem à sede Apostolica depellendum, quamuis absentem, diiudicabant, & Vuibertum Rauennatem archiepiscopum surrogandum eligebant. Anshelmus autem Lucensis episcopus, uir literatus, ingenio acutissimus, & facundia præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimus, qui etiã tam in uita quam post mortem claruit miraculis, scripsit epistolam ad eundem Vuibertum, in qua illum præuaricatore ac superbum cognominat: Hillebrandum autem beatum Gregorium, patrem suum appellat. Quo tempore prælium iterum graue confertur inter Heinricum & Rodolphum, iuxta Ellestram fluuium: in quo Rodolphus uulneratus in manu dextra, fugit Mersburgum. mortisque iam proximus, dicit ad familiares suos: Videtis manum dexteram meam de uulnere faucia: ecce hæc est manus, qua Domino meo Heinrico fidem firmaui sacramento. Sed iussio Apostolica, pontificumque petitio me huc deduxit, ut iuramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurparem. qui ergo finis nos exceperit, uidetis: quia in manu qua iuramentum peregrini, mortale hoc uulnus accepi. Videant ergo hi qui ad hoc nos instigauerunt, quò nos duxerint, ne forte deduci simus in præcipitium mortis æternæ. Et hæc dicens, diem clausit extremum.

## C A P V T X V I I.

**H**ildesemensi ecclesiæ per eadem tempora præficitur Vdo, uir nobilis, de comitatu Aluesleue: præfuitque annis 35. Vidit turbulenta tempora, ac luctamen inter regnum ac sacerdotium, cum quartus Heinricus ultus iniuriam depositionis suæ, & excitationis in se æmuli, memor quod pater suus de Romana sede ordinauerit, totius ius Imperij renouaturus, consilio suorum pontificum, Gregorium (ut diximus) septimum destituit, & Rauennatem archiepiscopum substituit. & anno 81. Romam profectus, resistente sibi cum Romanis papa Gregorio, ante castellum sancti Petri castra posuit: ubi etiam crebris per biennium incuribus Romanorum infestatus, parua manu multa uiriliter peregit. Vuibertum suum, quem Clementem appellauit, pulso Gregorio in sede prophanauit: cum interim diuisa Germania bellis tumultuaretur. Nam tum Conradus, Bohemæ ducis filius, marchionem Brandeburgensem

**A** gensem habuit infestum, concurreruntq; p̄elio 4. Idus Maij. Sueui quoque & Bauari infestis odijs concurrerunt iuxta Danubium in Hochstein. ibi cecidit Cononis Palatini filius. Saxones ac Sueui in Francia ad colloquium uenientes, non sine clade prouinciæ redierunt, ibi de nouo in Heinricum rege suscipiendo cōuentum est. Electus est autem Hermannus Lotharingus, dux de Lutzenburgo. Cui cū suis in partibus, hoc est in Lotharingia nemo in bellicis rebus atq; opib. posset æquiparari, sumpto regis nomine, tam suis quàm alienis cœpit in breui despectus haberi. Anno sequenti idem Hermannus orientalem Franciã, quæ pro Heinrico faciebat, uiriliter inuadit, hostiliterq; in ea digrassatur. Monstra tum cœlitus apparuere. uisus est equitū discurrens exercitus, cuius tamen uestigia nullo modo poterant agnosci. Heinricus interim in Italia diuersatur. iterum Romam tendens, castra fixit ubi antè, ad occidentalem portam castelli sancti Petri: captaq; est Roma 4. nonas Iunij, feria sexta ante octauam pentecostes. Quo tempore papa Gregorius in castello Crescentij, quod tum uulgò domus Theodorici diceretur, inclusus, expectabat euentum rei. Rex autem in Palatino monte munitionem instituens, multos eorum quos in p̄sidio posuerat, ingrauescente super eos æstatis insolito feruore, amisit: sed & alios eadem mortalitas absumpsit. Romani autē uiginti obsides regi dantes ex nobilibus, petierunt diem constitui, in qua papa & omnes senatores in p̄sentiam regis uenirent. Papa autem ad statutū tempus ad calendas Nouembris non comparuit, nam fugiens occultè, Salernum secessit, ibiq; ad diem mortis suæ permanfit.

## CAPVT XVIII.

**H**amburgensi perinde ecclesiæ, post Albertum, ab Heinrico ex eius ministerialibus p̄æficitur Liemar, homo Bauarus, satis literatus: qui Heinrico coniunctissimè adhæsit, cum à cæteris penè omnibus desereretur. Fuit cum eo in expeditione Italica, & ab eius consilio penè omnia pendere uidebantur. dedit hoc beneficio promotoris sui, p̄stitit exemplo p̄decessoris, ut Imperatorem in omni suo casu nō desereret. Aderat Gregorij septimi destitutioni, non aberat Vuicberti surrogationi: tenuitq; archiepiscopatum per annos 30. Dura tempora uidit. Ferulã pastorem Heinricus contulit, infeudans de regalibus: imò instituit omnium iure, ut tēpora ferebāt. Pallium ei cōtulit Alexander, Gregorij immediatus antecessor. & ea potissima dissidij causa fuit, inter regnum & sacerdotiū, quod in spiritualibus p̄sumeret potestatem Imperator: quæ pro temporum necessitate permiffa est patri suo, sed eam nunc papa suo iure uendicabat. Hic Liemar ordinatus est à suffraganeis, uir prudens: & tanto non indignus honore, si per ostium liberæ electionis introisset. Vsq; ad huius pontificis tempora, & aliquamdiu sub eo Hamburgensis ecclesia honorem suum integrum seruauit, ut esset matrix, utq; Metropolis sola diceretur. Nam sub titulo eius cōtinebatur illa tam larga & longinqua legatio in omnia regna Aquilonis. testes sunt papales literæ, quæ ab Alexandro tertio, summo pontifice, emanarunt ad Albertū huius decessorem: quarum exemplum supra posuimus: hunc semper titulum p̄ferentes, ut diceretur Hamburgensis, nō Bremensis archiepiscopus. Testes eiusdem Alberti multiplices literæ, ad reges memoratos, & ad episcopos regnorum Aquilonarium, quos crebrius uocabat ad Synodū in Sliasuicū, tanquam in locum medium utriusq; nationis. Sed posteaquam Dania cœpit habere suum archiepiscopum, paulatim defecit, & deperijt ista legatio: cœpitq; exinde posthaberi titulus ecclesiæ Hamburgensis. Quæ res non uno temporis momento peracta, sed multis annis deliberata: & tandem elaborata, temporibus huius pontificis est consummata. Antea enim reges Dania, Suuetiæ, Noruegiæ susceperunt in prouincias suas episcopos ab Hambur-

genſi metropolitano miſſos, & conſecratos. Acceſſere etiam pontifices ex Gallijs & Anglia miſſi: deinde ſub Zuenone rege Daniæ, iam palam cœpit ea res actitari, non ignorante Alberto Hamburgeniſi archiepiſcopo: qui ea ſperem diſſimulauit, quod patriarchatū in Hamburg per eam occaſionem conſtituere cogitaret, ut non obſtante archiepiſcopatu uno uel pluribus in Aquilonaribus, duraret nihilominus ſuperioritas legationis in patriarchatu. Sed hæc res, ſicut multæ aliæ, per mortem hominis interuerſa eſt, & manſit infecta. Quamdiu tamen ſupererat memoratus Albertus, perdurabat legationis officium in omnem Aquilonem: cogitauitq; in perſona ipſe obire prouincias in remotiſſimas partes, ut ne inſulam quidem relinqueret, quam non ſua prædicatione illuſtraret. Præparatisq; iam rebus omnibus, & nauigijs comparatis, comitibusq; delectis, colloquio de ſuper habito cum Danorum rege Zuenone, auerſus eſt: quod diceret ille, melius populum erudendum per ſuæ nationis homines, qui & mores, & linguã, & ritus callerent in quacq; gente, quàm per alienigenas, quibus ſit opus longa interpretatione et multa circuitione: idq; experimento compertum eſſe ſub prædeceſſoribus, qui operam illam per intermiſſos foeliciter impleſſent. Adquieuit archiepiſcopus, & muneribus illectos earum nationum homines, ad prædicandū fecit uoluntarios: neminemq; à ſe dimiſit, quem non ingenti liberalitate affectum, ad euangelilandum feciſſet paratiſſimum: perijtq; illa hominis iactantia, qua ſolebat gloriari, tres ſe euangelistas in regnū præceſſiſſe, Anſgariū, Rembertum, & Vnni: ſibi quartum ſeruari locum. Petebatur ergo ab omnibus etiam remotiſſimis gentibus, de Islandiã & Gronlandiã per legatos. & ſe adiri ab omnibus paſſim ille permiſit, in omnes regiones & inſulas ordinans epiſcopos. Gaudens enim repetere ſolebat: Meſſis quidem multa, ſed operarij pauci: rogate ergo dominum meſſis, ut mittat cooperarios. quorū ſpecioſa temporibus ſuis multitudine exhilaratus pōtifex, primus omnium ſtatuit, in Daniã Synodum celebrare cum ſuffraganeis ſuis, quoniam & temporum opportunitatem habuit, et regnū illud multis iam redundabat epiſcopis: & quoniam multa emendanda uidebantur in nouella plantatione, præſertim ſuper acceptis donis in ſacramentorū adminiſtratione, imò etiã quaſi pro iure exactis, deq; crapula cleri ei populi, atq; incontinentia. Ad quæ omnia ſummi pontificis autoritatem, regisq; promptiſſimū auxilium ſperabat interuenire. Emanabant iam à ſummo pontifice literæ, & ipſe archiepiſcopus in prouincias ſuis directis epiſtolis, omnes conuocabat: ſed mors, ut ſolet, omnia interuertit. Plures tamē ordinauit epiſcopos in gentē miſſos, quorum ſedes tum erant incompertæ. Poterant etiam nonnullæ transferri de loco in locum, quod crebrius & in alijs prouincijs acciderat. ſed quorum comperta ſint nomina, hi fuere: Rodolphus ex capellanis ſuis ordinatus eſt in Sliafuicum, Odo in Ripam, Chriſtianus in Aruſiam, Heribertus in Vuiber gum: Magnus & Albertus in Vuendilam, quæ nūc dicitur Burglauenſis eccleſia. Eilbertum in Farriam & Fioniam, Vuilhelmum in Sialandiam (hic eſt ille, qui tanti nominis erat apud regem: quiq; illum tanta charitate conſtrinxit, ut cum illo tumularetur, & poſt mortē clareſceret miraculis, quod in Daniã ſumus executi) Eimonem in Scaniã prouinciã promouit. in Suediam uerò conſecrauit ſex: Adaluuardum & Acilinum, alium Adaluuardū & Tadicum, Simonem, & Ioannem monachum. Adaluuardus tamen ſenior utrique præfectus eſt Gothiæ, iunior ad Scithonam & Vpſaliã eſt directus: Simon ad Scrittafinnos, Ioannes ad inſulas. In Noruuagiam duos tantum ipſe conſecrauit, Tolphum & Siuuardum. Caterum aliunde ordinatos cum ſibi ſatisfacerent, & ſecum benignè tenuit, & hilariter dimiſit: ſicut Menardum, Osmundum, Bernardum, & Aſgotum, aliosq; multos. Præterea Turolphū quendam

**A** quendam misit in Orcadas, & alium quendam Adalbertum: Isleph in Islandiam, quò etiam misit Ioannem in Scotia ordinatū, & in Vuandaliā Oldenborg Eizonem. Sunt autem omnes quos ordinauit, episcopi uiginti: quorū tres abortiui, & extra uineam ociosi remanserunt, sua quærentes, non quæ lefu Christi. Quos uniuersos archiepiscopus in decenti habēs honore, ad predicandum barbaris uerbum Dei prece & præmio commouebat. Nunquam tam erat solitarius, ut non aut quatuor aut quinq; episcopis stiparetur. Tres indiuisos semper comites habuit: Tanquardum ante episcopatum familiariter cognitum, iam sine episcopatu manentem, quòd Brādenburgensis sedes eius à Vuandalis proximè esset deuastata: Ioannem Schotorum episcopum, quem postea missum in Vuandaliā perfidī trucidauerunt cum Godschalco principe: tertius erat Bono, de terra sancta ueniens: ubi diu mansitans, plures nolens ac uolens lustrauit prouincias. Hi semper aderant, cum alijs euntes & redeuntes mutarent uices: quādoq; plures, quādoq; pauciores. Hac idcirco sub hoc pontifice repetiuimus, ne ignorata iacērent, quādo huc perductus est limes illius tam late in gentes legationis, ut deinde cessaret cū eo honor Hamburgensis ecclesiæ, interim duplici malo affectæ. nam proximè in anno quo mortuus est Albertus, uno bis anno à Vuādalīs euastata, ciuibus & clero est exhausta: nunc etiam legationis ueteri honore destituitur, quod quo ordine factum sit, inferiora docebunt.

## CAPVT XIX.

**V**erdensis interim ecclesia, pastorem Zegebertum, Heinrico Imperatori percharum habuit: qui illi & ecclesiæ suæ donauit forestam uenationis in Magetheide, cum terminis suis: & prædiū in Hermensborg, in comitatu domini Vuitelonis comitis, cum omnibus pertinentijs. Circa quæ tempora ad annū Christi 1098. cœpit ordo Cistertiensis, in quo Bernardus breui post effloruit Clareuallensis. Circa huius quoq; pōtificis tempora initiū fuit Carthusiensium in Burgūdia, in dicecesi Gratianopolitana, sub Brunone Coloniensi inchoatore, uiro sacris literis doctissimo. qui ipse septimus accessit Hugonem loci episcopum, exponēs sancti propoliti deuotionem, ut ille opem ferre, & locū permittere, & autoritatē dignaretur interponere: atq; impetrauit amplius quàm postulauit. non solū enim quod petiuit, obtinuit, sed illum ipsum pontificem meruit sacri ordinis habere consortem. Incredibile dicitur, quàm breui res noua coaluit, quàm uiriliter inchoata durauit, nulla per annos 40. indigens reformatione, ut cæteri omnes collapsi paulatim: sed seuerapatrum industria, & crebra uisitatio, & silentium cum sollicitudine hoc illi miserante Deo præstitit, ut conceptum seruorem non intermittat in uniuersum. Possunt mēbra diffuere pro humana fragilitate, sed ordo perstat immotus. Hoc ergo quod ecclesia persensit in Cæsare detrimentum, redditū est illi ad incrementum deuotionis in ordine nouo: cui similis alius in ecclesia non extat, per rigorem, per austeritatem, per obseruantiam sedulam.

## CAPVT XX.

**I**nterim Heinrici quarti tēpora per omnes ecclesias fuere turbulenta, propter superbam eius dominationem. qui non contentus rebus Imperij, ecclesiarū etiam iura inuasit, episcopos pro suo arbitrio instituēs, destituensq;. Summum pontificem Gregorium septimum, uirum sanctum, insectatus est, & contumaciter illi se obiecit, quod non illius uoluntate ad summum pontificatum peruenisset. Cumq; Anno Coloniensis archiepiscopus, & Hermannus Bambergensis, quod diximus, Romam missi pecuniam quæ regi debebatur congregare, cum legatione peracta reuerterent, literas Alexandri papæ detulerunt, regem uocantes ad satisfactionē pro simoniaca hæresi, alijsq; nonnullis emendatione dignis, quæ de illo Romæ fuerāt audita. Quo etiam

tempore Saxones arcem Hartesburg dirimunt: claustrum canonicorū quod **A**  
 inerat, destruunt, ossa ibidem filij regis ibidem sepulti in contumeliam patris  
 de sepulchro proijciunt. Sed interim Alexandro papa defuncto, surrogatur  
 Hildebrandus archidiaconus, uocatus Gregorius septimus: quem Heinri-  
 cus in conuentu Imperij refutauit pontificem. Sed tamen ipse potius Impera-  
 tor à suis episcopis est desertus. nam Coloniensis & Magdeburgensis archie-  
 piscopi, illico regem deseruere contumacem: solus Liemarus Hamburgens-  
 sis, quem ille prouexit, mansit in contubernio. Hinc Saxonū principes missa  
 relatione ad sedem Apostolicam, conquesti sunt, quòd rex diuinæ legis con-  
 temptor, ecclesijs Dei in cōstituendis episcopis omnem liberæ electionis fa-  
 cultatem ademerit, ponēs per uolentiam episcopos quos uoluisset. Insuper  
 quod more Nicolaitarum, de coniuge sua publicum uoluit facere prostibu-  
 lum, ut subijceret quod in se fuit aliorum libidini: aliaq; multa auditu horrē-  
 da crimina. Quamobrem papa zelo iustitiæ permotus, crebris epistolis &  
 nuncijs regem denuò ad Synodalia responsa, & sedis Apostolicę deuocauit  
 audientiam. Sed rex secūdā & tertiam eius uocationem dissimulauit. Quo  
 circa Anno Coloniēsis, Sifridus Mogūtinus, Bucco Halberstadenlis, Vues-  
 filo Magdeburgensis, & omnes principes Saxonix deseruere regem: solus  
 Liemarus permansit. Habuit deinde rex concilium apud Vuormaciā, pre-  
 sente Heinrico rege, in quo pars regis uidebatur per multos episcopos con-  
 ualescere: sed non diu post maximum hoc colloquium principum apud Op-  
 penheim factum est: ubi penē totius regni principes, sed maximē Saxonum  
 & Sueuorum, subiectioni regis contumacijs renunciabant: causam præten-  
 dentes, quod à duobus summis pontificibus euocatus ad satisfactionem nō  
 uenisset, & pro contemptu sententiam excommunicationis in Romana Sy-  
 nodo à papa accepisset. Hac re comperta rex humiliter, utpote reconciliatio-  
 nem ecclesiæ petiturus, Romam uersus proficiscitur: inuentoq; pontifice in  
 oppido citeriore, ibi per triduum ad portam oppidi deposito omni regio fa-  
 stu discalceatus, & laneis indutus perstitit, donec interuentu plurimorum re-  
 conciliationem acceperit. Relaxato tandem anathematis uinculo, in com-  
 munionis gratiam, & sinum matris ecclesiæ est receptus, acceptis ab eo in fu-  
 turum uitæ melioris assecurationibus multis. Adijciunt annales nostri, pu-  
 blicam tunc regi à pontifice iniunctam pœnitentiam, Romam per annum  
 non exeūdi, equum non ascendendi, inter martyrum sepulchra diuersandit:  
 sed eam rem iustis de causis in Saxonia nō probauimus, neq; hic recipimus.  
 Maximum deinde bellum inter Heinricum & Rodolphum illi in regno sur-  
 rogato confurgit, multisq; prælijs uariè est dimicatum: sed cessit Rodolphus  
 ad extremum, ex uulnere moriens. Heinricus autem post aliquantos annos  
 conuentum habuit triginta episcoporū, & optimatum Italiæ & Germaniæ,  
 apud Brixinam Noricam, contra Gregoriū papam: quem à sede Apostolica  
 detrudere cōtendit, & Rauennatem archiepiscopum Vuibertū surrogare.

## C A P V T XXI.

**V**uibertum suum Heinricus antipapam duxit Romam: eam obsidens,  
 multis laboribus cepit. in Palatino mōte castra fecit. Papa in arce Cre-  
 scentij delituit. Fiunt transactiones, statuitur dies de omnibus conueniendi.  
 Papa se in tutum clam recepit Salernū. Rex suum Vuibertū inthronifans,  
 Clementem iussit appellari: & ab eo cum regina Imperialem benedictionē,  
 si non execrationem, accepit. Reuersus in Germaniam Imperator, res regni  
 reperit perturbatas. Nam Saxones in locum Rodolphi, regem creauere Her-  
 mannum Lutzelburgensem, qui & ipse breui periit. Heinricus autem Imper-  
 ator Moguntix Synodum cōtraxit, anno 85. post mille: ubi præsentē Vuic-  
 berto antipapa & Imperator aderat, & legati Romanorum. Omnes inibi e-  
 piscopi

**A** piscopi rebelles Imperatori, deponendi iudicantur: ceteri cum Gregorio sentientes, anathematizantur. Gregorius interim rebus excessit humanis. Successit Victor, annitente potentissima per Italiã domina Mechtilde, quæ Romano uero pontifici in Cæsarem semper adhaesit. Victori Urbanus, Urbano Paschalis in Romana sede successit, Imperatore cum idolo suum schisma continuante. Franciæ, Siciliae, Hispaniæ reges catholicam partem fouerunt, tuentes ueros pontifices, cum illos Heinricus insectaretur. Octuagesimus nonus erat annus, cum Imperator schisma suũ prolongaret: & bella in Saxones continuans, arcem obsedit Gliche, unde Egebertus Saxoniae marchio illum fugauit. qua in pugna cecidit episcopus Lafannensis, qui lanceã regalem praeferebat. Ibi etiam Liemarus Bremensis archiepiscopus, captus est à Ludero comite: qui postea dux fit Saxoniae, & inde imperauit. Archiepiscopus captus, pro redemptione sua dedit aduocatiã Bremæ, hoc est, iudiciũ urbis temporale, & trecentas marcas argenti: & ita restitutus est episcopatu suo. Hic basilicam, quam Albertus predecessor suus coepit reedificare, de incendio uillæ parumper maculatam funditus destruxit, & à fundamentis aliam exstruxit. Hoc solum in præclaris eius operibus numeratur. Ceterũ curiam sequens, & eius infinitis perplexitatibus inuolutus, intendere qui potuit gregi suo: Interim uerò Imperator Heinricus cum iam alterã sibi iunxisset uxorem, Vtonis marchionis relictam, nihil modestius in ea se gessit quã priorẽ. nam filium suum Conradum, optimum adolescentẽ, & qui meliori parente dignus uideretur, ad uxoris fertur inuitasse complexum: cumq; horreret infandum crimen bonus iuuenis, ut eum ad scelus animaret, fertur illi in aurem dixisse, se patrem illius non esse, natum adulterio: & ideo thorum suum non esse illi tantopere refugiendum. Magis magisq; aucto in pudente iuuenis horrore, ineditatur patris cedere furori. idq; fecit, cõcedens in Italiã: ubi praesidio Mathildis nobilissimæ foeminae suscipitur, magnumq; illi regnum paratur. nam pater illum iam antè regem iussit coronari. Regina uerò elapsa de manibus Heinrici, peruenit & ipsa in Italiã: ductuq; Mathildis, ad Urbanum pontificem: qui detestatus scelera regis, renouauit excommunicationem in ipsum. Ceterum regina usa pontificis consilio, qui eam fortasse thoro Heinrici absoluit, reuersa in patriã, monasticã uitam ingreditur: & profecit in matrem multarum Christi puellarum.

## CAPVT XXII.

**P**Arabatur per hæc tempora passagium illud grande in terram sanctã, excitante Urbano pōtifice in Cōcilio Claromōtensi. Proceres Franciæ cū multis milibus militũ & populo signantur cruce: inter q̄s Godfridus dux de Bulion. Lotharingiæ is locus est, nō quidem ducatũ habens, sed quod Godfridus dux dicitur, magnifica eius per Palæstinã gesta fecere. erat tamen materno genere ex ducibus Brabantiae: nam auunculus eius dux erat Brabantinus. ceterum pater eius comes Bononiæ Gallicæ, in parte maritima Picardiæ: septem milia distat ea urbs à Calisia. Nihil mouerat Imperatorẽ Heinricum zelus Francigenarũ, pro Christo longinquam militiam subeuntium, quo minus ipse schisma suum continuaret: filio etiam Conrado minitans arma. sed modestus adolescens, quoad potuit quieuit, cedens semper parenti. Heinricus autem ubi uidet omnia filio Cōrado prospera, impiũq; esse oppugnare cedentem & reuerentem, alia in eum intentauit arma. Nam deposito eo quem antè iusserat regem coronari, iuniorem filium Heinricũ pro eo regem creauit. Nihil nocuit Conrado paterna insultatio. Causã autem paternã in se indignationis, paucis, & his familiarissimis, detexit. Erat uir per omnia catholicus, & Apostolicæ sedi subiectissimus, plus religioni quã armis aut fascibus intentus: fortitudine tamen & audentiã militari satis præstans,

stans. Per nouem annos quibus superuixit, Italiae quaedam loca nomine & rex habitus gubernabat. Lectioni quam iulibus uacare malebat: miseris omnimodè, sed præcipuè militibus inopia laborantibus, cõpensione erat proximus. nemini contemptum, nulli uim, nemini præiudicium intendens, omni personæ omniq; cõditioni fuit affabilis: inde non immeritò Deo & hominibus fuit amabilis. Hic ergo nono postquam à patris discessit palatio protinus anno, Mathildis illius magnæ & nobilis foeminae, sicut sanguine, ita & contubernio & uirtute iunctus, & in rebus per Italiam disponēdis tam illius quàm Apostolici cæterorumq; Deum timentium personarum consilio semper usus, immaturo præuentus occasu, decessit, anno post Christū 1101. Sunt qui eum ueneno scribant interiisse. Testabantur qui aderant, in eius brachio crucem se uidisse. Eo etiã tempore Heinricus Crassus, filius Othonis ducis, Bauaria pulsi, cædit in Phrisia, cum multis alijs. Libenter usi digressione propter nobilem adolescentem, ad Liemarum Hamburgensem, siue ut ex eo tempore cœpit usurpari quãdo cessabat legatio, Bremensem archiepiscopum redeamus: qui circa finem uitæ peregit, ut conuentus in Hersefelde monachis impositis perficeretur. iam erat post 1101. annus, cum religiosum Deo spiritum redderet Liemarus, 16. calendas Iunij, cum annis 30. cathedram tenuisset: sepultus in Basilica, quam ipse à fundamentis erexit.

## C A P V T XXIII.

**I**n ecclesia Paderburnensi, ad annū Christi post 1084. Poppone mortuo, cœpit de successore haberi controuersia, quod regnum esset diuisum. nam Hermānus dux Lutzenburgi, rex electus à Saxonibus, Heinricum comitis de Aslo filium, cõsentiente capitulo, præfecit ecclesiae. Sed Heinricus rex, ut ubiq; æmuli Hermanni facta subuerteret, huic ecclesiae præesse uoluit alium Heinricū, comitis de Vuerle filium. Sensit motus hos ecclesia diu, dum quisque suæ parti studeret: sed ubi defecit rex Hermannus, cedere oportuit & illum quem præfecit: præualuitq; Heinricus de Vuerle, qui ecclesiam illam rexit annis 44. Sed in schismate quod diu cõtinuauit rex Heinricus, iste episcopus non passus deserere prouectorem suum, suspensus est diu à diuino officio per Moguntinum archiepiscopum, Apostolicæ sedis commissariū. Tum uerò Heinricus colluctatus omnibus qui cum pontifice Romano senserant, omnes penè episcopos Saxoniae, Magdeburgensem, Halberstadensem, Mindensem, ac nonnullos alios sedibus suis eiecit. Ob eandem causam Saxones & Sueui obsederunt Vuirtzburgum. Venit Heinricus obsidionem soluere. Versi in eum, repellunt uenientem: & capta urbe, uerum reponūt pontificē, eiecto quem Heinricus præfecit: & relicto urbi militari præsidio, abscedūt. Reuersus Heinricus suum reponit, æmulū eiecit. Ita ferox Bellona uersat res ecclesiae, dum Heinricus iura tuetur, ut putat, imperij, pontifices non cedunt ecclesiasticæ libertati. Quod enim temporum necessitate indultum est Heinrico tertio huius patri, ut de Romanis pōtificibus disponeret, non potuit iuri diuino præiudicare: quod utiq; tradit, Nolite tangere Christos meos. Nam immunitatē ecclesiae & sacerdotū, & reges Aegypti & Babylonis ante Christum diu constituerunt, quod sacrae literæ non tacent.

## C A P V T XXIIII.

**H**alberstadeni ecclesiae post Buccam, qui Goslariae cæsus est, præficitur ab Heinrico Detmarus: unde ortus, incertū, nisi quod Heinrico regi coniunctissimus creditur: alioqui non esset passus illū in media Saxonia surrogari. Continuuauit autem idem rex schisma suum, & antipapam fouit cum his qui illi inharerent. Sauijt Heinricus gladio in aduersantes, uicissim summi pōtifices gladium suum strinxerunt in omnes schismaticos. Archiepiscopus Moguntinus Rotardus, & Constantiensis episcopus, Apostolicæ sedis commissarij,

**A** Commissarij, reconciliarunt omnes ad sacra promotos, per episcopos Heinricum sequentes, impositione manuum, ut executionem haberent ministeriorum suorum: episcoporum autem reconciliationem sedis Apostolicæ reseruarunt. Prodigij loco habitum est, uermiculos multos, quos multis regionibus erat cernere, non longè à terra uolantes, ita ut manu uel uirga tangi possent, grositudine quidem muscis æquales, sed longitudine diductiores: quorum tam infinitus erat exercitus, ut unum penè miliarium in latitudine, tria in longitudine occuparent. Densitate autem sua ipsam solis lucem obscure uidebantur. Per quam prodigiosam uisionem, illam quæ post quadriennium facta est, Hierosolymam tendentium profectionem, quidam interpretati sunt figurari. Secuta est autem hominum & pecudum intolerabilis pestilentia, de aeris corruptione: unde & illa tum nata fuere animantia, quæ mortua auxerunt intemperiem aeris. Signa quoque in cælo apparuisse ferunt, globos igneos uarijs in locis emicuisse, & deinde alia cæli parte se condiderunt. Angelicas multi interpretantur fuisse potestates, qui ad sacram expeditionem inuitarent mortales. Nam Urbanus papa in concilio Claromontensi excitauit Gallos. Petrus, natione Hispanus, heremita, excitauit cæteras nationes: & se præbuit ductorem, asserens è cælis missam epistolam, quæ ad eam expeditionem nationes hortaretur. Ingressus est dux Godfredus cum duobus fratribus Balduino & Eustachio, multis nobilibus & episcopis: quæ uerò peregerint, quia apud multos leguntur, à nobis præteruehuntur.

## CAPVT XXV.

**M**indensi ecclesiæ per hæc tempora Heinrici quarti præfuit ordine pontificum octauus decimus Reinuardus, cui controuersiam de ecclesia mouit Volmarus, quod astipulantibus cognatis, per secularem potentiam se putauerat ingressurum. Iam enim ambitio, perniciosum malum præsentium, irrepserat in ecclesiam. Pax erat rebus à persequentibus. multiplicabantur ecclesiarum prædia pontificum diligentia, & bonorum deuotione cordium: inde se insinuauerat semen zizaniorum, quod perturbauerat tempora huius pontificis. Sed præualuit iustitia & ueritas: quia abactus est, qui nõ per ostium, quod Christus est, sed aliunde tentauit intrare. Huius autem pontificis tempore, anno eius tertio, cœpit ordo Cartusiensium sub Brunone de Colonia, in diocesi Gratianopolensi prouinciæ Burgundiæ, cum septem uiri in literis primarij se eius loci episcopo præsentassent, rogantes locum in quo Domino deseruirent: simul aperientes uotum quod conceperant. Et præualuit sanctum eorum propositum, astipulante plurimum & adiuuante eodem pontifice. Hic autem Mindensis pontifex Reinuardus, annum Christi attigit 89. & in crastino beati Matthæi apostoli, translatus est ad meliora. Versiculi in eius laudem seruantur, ut cuncti tornati:

Hic est Reinuardus, animosus ut leopardus,

Qui quasi flos redolet, & ut aroma uiget:

Vnde debetur ei iure corona poli.

Quam si est assecutus, satis prospere processit ut regnaret.

## CAPVT XXVI.

**O**snaburgensi ecclesiæ per ea tempora Heinrici quarti præfuit Benno secundus, quem nos Bernardum dicimus, ordine pontificum eius loci 18. uir ab ineunte ætate Deo deditus, origine Sueuus. Qui cum scholis præfuisset apud ecclesiam Hildesensem (docebant enim illa ætate scholastici sacras literas, & habebant qui subdocerent in truiualibus) clarum illi nomen ex doctrina & ex uite religione, conciliabat eum Imperatori Heinrico, Goslarie manenti illa tempestate. Cumque uacaret Osnaburgensis ecclesia, Benno magnis suffragijs ab Imperatore assumitur, Dabatque operam, ut uitæ sanctimoniam, quantum

nia, quantum dignitate excresceret. Moniales extra regulæ limites euagantes, retrulit ad obseruantiam. In monte conspicuo & amœno, ex altera parte monasteriũ sub regula diui Benedicti erexit: in altera parte arcem firmauit, Iborg nomine, inter firmissimas Saxoniarum. Imperatori paruĩt, ita tamẽ ut summo pontifici non contraireret. Deniq; cũ Imperator hoc ageret, ut contempto Gregorio septimo antipapã surrogaret, latuĩt hic pontifex, nec uoluit interesse concilio. Multa uirtutum eius referuntur insignia. Præfuit ecclesiæ cum summa laude per annos uiginti. Migrauit anno 88. post mille, undecima Calendas Augusti. Fertur exturbasse glires prouincia, ut per multos annos nõ cernerentur, annis, ut ferunt, 280.

## CAPVT XXVII.

**M**agdeburgensi interea ecclesiæ post Harduicum, diu persecutione Heinrici laborantem, præficitur Heinricus de Aslo comes, iam dudũ ab eodem Heinrico eiectus ecclesia Paderburnensi. Venerat hoc tempore Heinricus de Aslo Magdeburgã: & cum Harduicus aut iam functus esset, aut breui concederet eũ uita, assumptus est a fratribus in archiepiscopum, nihil requisito regis consensu. Quippe Saxones, sicut a multis annis, sic etiam nunc regi repugnauere, parentes mandatis Apostolicis in regem: quocirca paruifecerũt regis assensum, uel dissensum, in assumendo archiepiscopo. Erat autem uir Deo deditus, religiosus episcopus, & eo loco dignus: sed non erat digna ecclesia frui uirtute tanti uiri. Nam anno quarto defecit, iam tum initio pontificatus sui. Erant ex canonicis qui ambirent locum illum: cumq; exissent ut regem adirent, & eius autoritate pontificatum inirent, obseruata sunt a bonis uiris illorum uestigia, & capti, pro cathedra quam ambibant, carcerem acceperunt. Indignatur rex ista audiens: sed iam tantis erat implicitus nexibus, ut omnia pro motu gubernare nõ posset. Iam enim crescentibus malis, & ut Saxones nostri scribunt, multiplicatis eiusdem Heinrici peccatis, & principes & p̄tiffices habere cœperũt auersos ab illo animos. nam neq; diuini atq; humani iuris apud illum respectus permansit. Cõtempnit Apostolica mandata, principes honore suo non habuit, propriũ connubiũ turpare constituit: adulteria non solum ipse commisit, sed suasilit, hortatus est. Ea si uera sunt, nec ab æmulis maiorem in modum elata, magnas causas præstitẽrũt futuris eius calamitatibus.

## CAPVT XXVIII.

**V**erdenſi per ea tempora ecclesiæ præfuit uir præcipuus Richertus, ordine 23. nobilis, ut præsumitur, origine: quod tum regia uoluntate promotis pontificibus, primus erat locus aulicis, & qui alto sanguine præferrẽt nobilitatem. Hic fratribus ecclesiæ suæ Verdenſis, consentiente filio fratris sui, comite Geuehardo, curtem in Honstede cum omnibus attinentijs contulit in supplementum præbendæ. Nec hic erat modus benefactorum: plura enim contulit ecclesiæ, quæ scripta non sunt. Hæc sunt illa tempora quibus Heinricus quartus, rex in Germania, aduersus eos qui pontificem sequerentur, & in Italia aduersus Conradum filium ibi regnantem, multa peregit: sed non est prosperatus, aduersante sibi in Italia Mathilde potētissima foemina, de genere Saxonum: & in Germania, Sueuos cum Saxonibus & multis pontificibus habuit obuios. Nam Vrbanus papa super ecclesiarum commotione multiplici, congregauit multa cõsilia, multa etiam promulgauit decreta. Inter quæ conuocatis ad Placentiam ciuitatem ducentis ferẽ patribus, Heinricum Imperatorem tam a se quàm prædecessoribus suis communionẽ priuam declarauit: maxime regina Heinrici uxore astante, multaq; in illum nefanda ad aures totius Synodi significante. Sed Vrbanus antequam ex hac uita migraret, spiritu instinctus diuino, Reimeinũ cardinalẽ sancti Clementis, sanctæ

A sanctæ conuersationis & boni testimonij, abbatem Romanū designauit successorem deligendum: quem etiam reuelationibus insuper denotatum, uniuersa Romana ecclesia pastorem sibi consecrat inuitum. Expeditio interim in terra sancta prosperatur. nam magnis difficultatibus emensi uiam duces cum militibus, diuersis itineribus peruenerunt in terram sanctam: & multis antè urbibus, per Ciliciam, & alias regiones, captis, Antiochiam, & deinde post multa Hierosolymam receperunt, anno Christi 1099.

## CAPVT XXIX.

Mimigardeuordensi uerò ecclesiæ per eadem tempora præfuit Erpo, uir nobilis, sanguinè tangens, ut ferūt, Magnopolensem: sed erat illa tempestate nobilitas ista in paganismo non magnum habens nomen. Vuādalix nobiles & Obotriti uocabantur ex antiquitate. Cæterum Magnopolense uocabulum, græco latinoq; compactum, ex ueteri oppido Mekelnborg ortum habet, quod sonat magnam urbem: hodie curiam unam præfert, quales insidere solent militares. Erat hic pōtifex nepos prædecessoris sui Friderici, quē ex marchionibus Misnæ ortum ferebant, ordine 17. in hac ecclesia. unus ex his qui cum Dodone episcopo Leodiēsi, & Godfrido duce Bulionis, ad exhortationē Urbani papæ secundi, cum magna expeditione populi Christiani mare transierunt, & Antiochiam cum ciuitate Hierosolyma receperunt. Reuersus est hic pontifex uoti compos factus, in patriam: & ecclesiam suam multis post annis sceleriter gubernauit: bonoq; fine consummatus, bonus Christi miles, pastorq; plebis emigravit, sepultus apud sanctum Mauricium, extra muros. In huius sigillo quod hodie extat, scriptum cernitur: Erpo episcopus Mimigardeuordensis. Durauit cōtumacia Heinrici regis in ecclesia: nec emollitus est pietate ad incitanda Gallorū exempla, qui Christi militiam consecrati dominicum sepulchrum & ipsam Hierosolymā ceperant, defenderant, & Christianismo reddiderāt. Iam Vuicbertus in antipapam erectus, qui tribus Romanis pontificibus superfuerat, dolens ac gemens quod in eas uias perductus esset, concessit e uita. Iam uidebatur ecclesia adunata, & uni subesse capiti, Paschali Romano pontifici. Heinricus inde Imperator habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale concilium ad calendās Februarias inibi conuocaturum condixit. quatenus tam Imperij quam Apostolici causa uentilata, canonicè inter regnum & sacerdotium catholica unitas firmaretur, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen, nec ipsum iuxta placita uenisse, nec nuncia dignitati Apostolicæ subiectionem profitentia misisse: quodq; alterū papam ipsi Paschali superimponere, si fieri posset, sit conatus, nec tamen profecerit. Igitur ubi firmatus est Paschalis in sede Apostolica, præcepit excommunicari Imperatorem ab uniuersis episcopis & Catholicæ ecclesiæ cultoribus: & continuantur mala per Germaniam.

## CAPVT XXX.

Herandus, quem alij annales uocant Stephanum, per hæc tempora præfuit in ecclesia Halberstadenſi, non sine contentione, propter Heinrici regis schisma grauissimum. Sed Saxones semper fuerunt contemptores tyrannidis eius: etiam armis ubi opus, sese tuentes ab illo. Sed hic bonus pontifex non diu præerat ecclesiæ suæ. tertio enim anno defecit, febre absumptus. Interim Imperator natale Domini Mogūtiæ celebrans, filio suo Heinrico regi, rerum summam dimissurum, seq; sepulchrum Domini uisitaturum, per Euerhardum episcopum publicè fecit prædicari: indeq; fauorem maximū tam uulgi quam principum, clerici, populi ac totius regni conquisiuit: multosq; e diuersis regni partibus ad eiusdem itineris comitatū se præparare uoto ipso succendit. Sed cum nihil se ad rem pararet, cecidere animi. Mutauit enim q̄ frequenter sententiā, nihil ueritus, quid de se homines loquerent. Sequentis

anni natalia Christi Ratisponæ peregit, conuocauitq; suæ obedientiæ principes & pontifices. Rarò autem cõuenerant, nisi insigni aliqua cæde tempora signarentur. nam proximo anno Mogūtię cæsus est Cono, filius Othonis, ducis quondam Bauariæ, nunc ad Vueseram manentis: frater Heinrici Crasfi, quem Frifones ad se transgressum cæciderunt. Nunc autem comes Sigihardus à militibus regis cæsus est, incertum an iussu an cõniuentia eius. Sed per multa mala quæ sub regimine eius gerebantur, parabatur regnũ iam ab eo transferri ad filium Heinricũ, prima quidem fronte præferentem umbram pietatis: sed ubi conualuit in regno, patris etiam acta in deterius superauit, ecclesiæ grauior quàm fuerit parens eius. sed hæc in sequentibus.

## C A P V T XXXI.

**H**umbertus per ea tempora, post Liemarum agebat in archiepiscopatu, iam Bremensi. Nam Hamburgensis titulus ex die constitutorũ in prouincijs Aquilonaribus archiepiscoporum, cœpit aboleri, quando retraxerũt obedientiam sedi Hamburgensi: desijtq; legationis superioritas, quæ sub titulo Hamburgensi debebatur. Tenuitq; archiepiscopatũ annis solis tribus, qui pro suorum temporũ breuitate nullis rebus insignitur in historia. uir undecunq; natus, nisi præcipuus extitisset aut stemmate sanguinis, aut eruditio- nis prærogatiua, ad archiepiscopatum tum nõ peruenisset, quando necdum erant libera electionis suffragia, sed Romani Imperatores se de sedibus archiepiscoporum uestiendis intromisere. Viuebat adhuc Imperator Heinricus quartus: qui ubi firmatus est in sede Apostolica, Paschalis ab illo, ut à prædecessoribus, excõmunicatur, & mandatur ab uniuersis episcopis catholice pacis euitari. Et quanquã pater umbram pietatis præ se ferret, de peregrinatione in terram sanctam, quia tamen nihil apparabat filius Heinricus, quem iam antè regem declarauit, et iussit consecrari, in Bauaria rebellionem molitur in patrem, machinantibus Dietpoldo marchione, Berengario comite, & Othone quodam nobili, sibiq; materna stirpe cognato. Quorum cõsilio atq; auxilio ante paucos dies à patris latere discessit. primò quidem hæresin patris anathematizans, Apostolicę sedis pontifici debitam profitetur obedientiam: indeq; sociatis sibi Noricis principibus, qui sunt nũc Austrii & Bauari, necnon à Sueuia & orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones conuertitur, à quibus honorificè suscipitur, & in Quedelinborg pascha celebrans, in breui uniuersis Saxonie optimatibus potitus, dignitate regia satis est honoratus. Cõsilio tamen & ministerio Rothardi Moguntini, & Gebhardi Constantiensis episcoporum, responsalium Paschalis papæ, totam Saxoniam Romanæ sedis communioni reddidit, & reconciliauit. Episcopis uerò & clericis conuentum generalem in uillam regiam, quæ Northusen dicitur, 4. calendas lunij indixit, ubi super ecclesiasticæ institutionis iam deprauata disciplina tractaretur. In quo concilio idem rex non modicã bonę indolis spem, magna humilitate simul autoritate coram omnibus prætendit. Nam cum seruorum Dei cõuentui non nisi uocatus interesse uellet (ingens enim ibi cum episcopis, abbatibus & clericis etiam monachorum ecclesiasticam sitiens unitatem, turba confluserat) tandem rex in abiecto productus habitu, stans loco editiore, omnibus iuxta decreta principum, suas leges atq; iura rationabiliter innouauit. Si qua uerò irrationabilia rogabantur, mira & ultra suos annos prudentiæ magnanimitate confutauit: in omnibus his inauditã seruans innocentie uerecundiam, & Christi sacerdotibus dignam exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipsum regẽ cœli testabat, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regnum usurpare, neq; patrem ac dominũ suum à Romano deponi Imperio exoptare: imò debitam pertinaciæ & inobedientie eius semper compassionem exhibere, si sancto Petro suisq; successoribus lege

A lege Christiana subijci uelit, siue regno cedere, siue similiter sibi subesse repromisit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lachrymas simul ac preces tam pro patris cōuersione, quā pro filij prosperitate fundere cœpit: uoce magna proclamans, *κύρι' ἐλέησον*. Rebus igitur ecclesiasticis ibi satis prudenter ordinatis, assumpto secū legato Romano, Bauariā Saxoniamq; adiit: inuasores ecclesiarum Synodaliter deposuit: reliquos uerò fautores hæresiarum, ab officio suspendit, ac subiacere examini sedis Apostolicæ coegit.

## C A P V T XXXII.

M Agdeburgensis ecclesia Heinricum suum breui amisit. nam secunda feria in Paschalibus, dum expectaretur de more uenturus in monasterium montis, defunctus efferebatur tristi ministerio: & in locum eius quintus Heinricus iam rex constituit ex choro Halberstadenſi egregium uirum Adalgotum, undecimū ordine archiepiscopū, qui undecim illi præfuit ecclesiæ annis. Eius institutum, ut quotannis per quadragesimæ singulos dies centum pauperibus singuli panes cum singulis hælecibus tribuantur. quo tempore Otho princeps insignis, origine Saxo, quem Heinricus quartus ducatu Bauariæ destituit, reddiditq; Vuelponi Sueuo, rebus excessit humanis. Habuit autem hic Otho tres filios: Heinricum Crassum, quem dixerunt Landgrauium, hoc est comitem prouincialem, patrem Rixæ, quam duxit Luderus postea imperans, hunc Frisij ad se transgressum armis perdiderunt in Norden: & Cononem, comitem de Bichling, qui occisus est in conuentu Imperij Moguntia: & Sifridum de Bomeneborg, patrem iunioris Sifridi. Habuit idem Otho quatuor filias, quarū una fuit mater Conradi de Vuiten marchio nis: alia, mater Friderici comitis de Arnsberge, cuius unam filiam duxit Godfridus de Arne nobilis baro, pater comitum Heinrici & Friderici, comitum de Arnsberge: secundam duxit Otho de Cappenberge, cuius filia Elica, uxor Eilmari, mater fuit Heinrici & Christiani comitum de Aldenborg, & Othonis maioris præpositi Bremensis: tertia uxor fuit Hermāni de Caluela, quæ genuit Othonem & Heinricum comites de Rauensberge: quartam deduxit nequam seruus. Quilibet etiam filiorum Othonis ducis memorati in comitatu Stadenſi unam habebat curiā: Heinricus Crassus, curiam in Alerſtede: Cono curiam, quæ dicitur Koninghoue, in uilla Herſeulde, hic fundauit Katelenborg, & eandem curiam illi clauſtro dedit: quam postea Fridericus Stadenſis primò oppignorata, deinde emptam dedit Herſeulde. Sifridus habuit curiā Hetuelde, quam filius eius Sifridus dedit cōuentui Amelingsborne, quā etiam post Heinricus dux de Brunſchuuig emit à monachis. hæc tamen, ut dicitur, modò quidā abbas loci illius apostotare uolens, duci uendidit, conuentui ignorante: tandem medietate pecuniæ soluta, & re comperata, abbas fugit, & dux curiam usurpauit. Hæc de annalibus transcripta hunc teneant locū, ut antiquitatis perseueret memoria: præsertim in stemmate nobiliū, de quo frequens est ignorantia. Sed Humbertus, ut diximus, Bremensis archiepiscopus uix expleto triennio uitam finiuit, anno quarto post 1100. à Christo & eius exortu.

## C A P V T XXXIII.

M imigardeuordensis, quæ nunc est Monasteriensis ecclesia, passa est per hæc tempora, quod multæ aliæ, de suis pōtificibus. nam Heinricus 4. illi præfecit Burchardum, uirum excellentem: sed illum uelut schismaticum, & Heinrico anathematizato subscribentem, eiecerunt ministeriales sui, & comes de Arnsberge. Sed Heinricus quintus illum potenter reposuit. Et ut expressius rem explicemus, Albanensis episcopus, cardinalis Apostolicæ sedis legatus, archiepiscopum Colonensem, & episcopū Monasteriensem Burchardū, ab officio suspendit: & ipse episcopus Monasteriensis, coniurantibus

cōtra eum ecclesiæ ministerialibus, adnitente comite Vuestphaliæ de Arnberg Friderico, expellitur, capitur, & ad Imperatorem Heinricum quintum deducitur, & in uincula conijcitur: quem postea Henricus idem rex, Monasterium ueniens, sedi suæ restituit. Fit conuentus tum in Natali dominico apud Moguntiam totius regni Teutonici, tanta frequentia, quanta nunquam ab hominum memoria. Referebant qui aderant, quinquaginta duo optimates ibi tūc laicos principes, aut supra affuisse: adeo ut solus dux Saxoniae Magnus, quem iam grauior ætas detinebat, defuisset. Ibi superuenientes Apostolicæ sedis legati, episcopus Albanus cardinalis, cum Constantinensi, sententiam anathematis in Henricum seniore dictum Imperatorem à tot sibi succedentibus Apostolicis sapius promulgatam, scriptis simul & dictis testificantibus, uniuersam multitudinē, imò totam toto orbe dispersam ecclesiam ab eius communione, Christi & beati Petri autoritate, multis iam annis sequestratam cōfirmabant: & eò usq; sententia inualuit, ut Henrico diadema tollendum, & ad filium decernerent transferendum. Venerunt ergo principes ad eum Ingelheim, Moguntinus, Coloniensis, Vuormaciensis, & imperialia ab eo exegerunt insignia. Quam rem, quia in Saxonia scripsimus, hic transilimus, ad ecclesiastica rursus exequenda redeuntes. Sed Burchardus tū restitutus, denuò laborabat sub Henrico, nihilo meliora moliente, quam pater eius: quæ suis temporibus attingemus. Paschalis autem pontifex tum in Gallijs apud Treca habuit generale cōcilium. In quo inter alia decretum est, quod nemo inuestituram alicuius beneficii aut ecclesiasticæ dignitatis à manu laica excipiat, quoad usq; hæc quæstio inter papam & regem Synodallyter terminaretur: & restituit papa omnibus ecclesijs libertatem suam, ut secundum præcepta canonum prelatos sibi eligerent, quos dignos iudicaret. Quo tempore ex eisdem causis patriarcha Aquilegiensis, Leodiensis & Cameracensis episcopi anathematizantur: Mindensis quoq; & Halberstaden-  
sis priuant: Coloniensis & sui suffraganei ab officio suspenduntur, quia aberant concilio generali: archiepiscopus Moguntinus, & episcopus Constantiensis suspenduntur, quia aliquos contra canonum statuta electos instituerunt. Henricus interim Paderburnensis profectus Romam, quia perplexitate quadam innodatus uidebatur, obtinuit plenam restitutionem, per conscientia serensationem.

## C A P V T XXXIIII.

**V**Erdeni quoq; ecclesiæ per hæc tempora præfuit Harduicus, numero & ordine uigesimalis quartus, qui sincerè fertur dilexisse ecclesiam, cui contulit prædium in Ride. Instituit etiam solennem memoriam tam fratribus quam scholaribus, in anniuersario suo peragenda. Cuius temporibus res Vuandalia occidua coeperunt paulum à paganismo respirare. Factū est enim, postq; Crito Vuandalorum princeps, Christiani nominis persecutor acerrimus, iam confectus est senio, Henricus Godschalci filius, egressus Dania, unde illi maternum & regium erat genus, percussit Aldenborg, iam in paganismo sedentem, & omnem maritimam Vuandalorū prouinciam: duxitq; magnam inde prædam, & exterruit uetulum illum principem. Qui uersus ad altus, simulata uoluit amicitia iuuenem, quem armis uincere non potuit, opprimere. Præmonitus ab Sclauina Critonis uxore Henricus, quæ annis puellaribus senem exosa, ad nuptias aspirabat Henrici iuuenis: unde factum est, ut ea prodente, caderetur Crito: & quod ambo cupierunt, nuptias confociarunt. Accuset quis foeminam incontinentia, & pariter Henricum, quod duxerit coniugem quæ uiri excidium procurauerit: sed odium paganismi, & amor restituendæ Christianitatis alleuat culpam utriusq;. Conabatur autem Henricus, quantum potuit, Christianismum reparare, & paulatim profecit.

A profecit, ope uirorum Christi zelo feruentium, quod suo loco ostendetur.

## CAPVT XXXV.

**M**indensem ecclesiam per hæc tempora in controuersia tenebat Volmarus quidam, canonicus Hildesemensis: quibus ex causis, satis ambigitur: nisi quod temporum ratione coniectatur, esse uisum regia uoluntate, unde tunc pendebant omnia: Mindenses uero suo fretos iure, assumpsisse uirum pontificatu dignum, quem etiam in eo defenderant. Poterant quidem hoc aduersus regem & Imperatorem, adiuuante eos tempore, cum rex magnis bellis implicatus, Saxonibus colluctaretur: quod in Saxonia diximus. Inde etiam Romanæ ecclesiæ se opposuit: unde ei non minimus labor creuit. Cōtinuauit autem iste Volmarus præsumptum pontificatum in annum quintum, donec miserabili & terribili, ut ferunt, morte consumeretur. Tradunt nonnulli casum nocte media in peccatis suis, gladio: beatumque Gregorium apparuisse custodibus ecclesiæ, & ostendisse pallam cruentam, nunciassetque mortem pontificis, ut eam cæteris patefaceret. Hanc tamen narrationem annales non firmanant, sed relinquunt legentis iudicio, quid credat. Multæ fabulationes per quorundam leuitatem, aliorum simplicitatem, se inseruerunt ueris narrationibus, quibus uulgus inhæret, facile creditu, docti contemnunt. Sed tamen malè ingressum, deterius progressum, uerisimile est non esse bene egressum. Quamuis operum distractionem non ostendat semper Deus in hoc seculo, seruans iudicio futuro: quædam tamen etiam hic distringit, ne omnino peccatores sibi promittant impunitatem, & insultent longanimitati & patientiæ eius. Sed hæc interim de Volmaro.

## CAPVT XXXVI.

**I**N Osnaburgensi ecclesia per hæc tempora quarti Heinrici, præfuit Marquardus, ordine pontificum 19. ex abbate Corbeïense factus episcopus. Præfuit annis sex, & depositus est pontificatu. non tamen memorant annales causam & ordinem depositionis eius: sed datur coniectare, ut quoniã turbulentiſſima fuere tempora inter sacerdotium & regnũ, inter summos pontifices & Imperatorem Heinricum quartum, super inuestitura pontificum, quam usque in illa tempora habuere Romani imperatores, obnixi contra non cedere iuribus imperij, sed quæ ipsi comperissent, illibata relinquere successoribus. Romani pontifices inchoante septimo Gregorio, dissimulandum non putauere, quod laica potestas dominaretur ecclesijs, & de pontificibus & abbatibus soli curarent. In hac cōtrouersia diu cōtinuata per multos pontifices (præerat enim quartus Heinricus ex puero annis penè 50.) facile fieri potuit, ut quoniã hic pontifex, uel aperte nimis se opponeret Imperatori, parens pontifici, ab ipso Imperatore sit ecclesia destitutus: aut econtrã, nimium pertinaciter inhærens Imperatori, sit à summo pontifice in exemplum alij, & in terrorem destitutus pontificatu. Dum enim annales de causa nihil attingunt, locum faciunt coniecturæ ex perturbatione tunc currentium temporũ. quæ usque adeo inualuit, ut filius patri æquiuocus, Heinricus quintus, sese parenti opponeret pro Romanis pontificibus: & quadam pietatis specie in oculis totius cōuentus regni, etiam lachrymas daret, testatus cœli Dominum, pro matre ecclesia se opponere terreno patri, ut eum deturbaret Imperio. Quam rem in Saxonia nostra plenius sumus executi. Ipse tamen affectus Imperij, uictus et deturbato patre, rem nihilo fecit meliorem. Nam eadem impietate, maiore etiam sæuitia, cum esset Romæ cum exercitu, summum pontificem cum cardinalibus captum, Roma extraxit: minatus mortem, nisi uotis eius subscriberet pro Imperio. Perseuerãter restitit papa, donec uictus lachrymis eorũ quos se occisurum minitabatur Imperator, uerbo subscriberet: testatus uim & iustum metum, donec rediret ille in Germaniam cum exercitu,

citu, cum retractaret papa, quæ per uim & iustum metum illi essent extorta. Sed tandem cessit Imperator, passus rem componi ad ecclesiæ nutû, per submissos in eam rem cardinales. Quod idcirco nunc memorauimus, ut uideatur quæ potuerit esse causa depositi huius Marquardi, posteaquã annis sex præfuit ecclesiæ Osnaburgensi. Erat autem tum annus 1093, in quem incidit huius pontificis depositio, cū adhuc in Imperio esset quartus Heinricus, pater iam senex: iam etiam ab annis in tanta calamitate quam filius inferebat miserandus, si posset amor dominandi fle si ad misericordiam.

## CAPUT XXXVII.

**F**ridericus eius nominis primus, in ecclesia Bremensi successit Humberto: tenuitque per annos octo, ut ferunt annales, sed ut ego arbitror, 18, nisi antè decennio uacasse sedem, aut alium interpositum fateamur archiepiscopum, cuius nomen non sit illatū fastis, nam hic Fridericus fertur obiisse mortem 23, post 1100, cumque decessor eius anno quarto iuxta eosdē annales excesserit, alterum ex duobus necesse est: aut inter Fridericum & Humbertum fuisse alium medium, aut sedem tam diu uacasse, quorum cum sit neutrum uerisimile (relatum enim esset in annales) fatendum est, hunc Fridericum ad annum decimum nonum peruenisse. Cuius tempora nihil insigne aut memorabile, quod ad religionem pertineat, præferunt: nisi quod illa contentio tunc super Stadenli comitatu erat inter nobiles: necdū enim peruenerat, ubi iam diu fuit, ad ecclesiā Bremensem. Superiori quidem ætate, cum Albertus pontifex frequenter in conuentu Imperij uersaretur sub Heinrico tertio, nobilis est Sueuia domina, cui nomen Ida, in Stadensem comitatum in uillam Elstorppe, quã exædificauit, sese collocabat. Denupserat primò Lupoldo nobili uiro, cui filiam peperit Odam, quam primò sanctimoniam fecit in Rintelen: postea inde translata, Russorum regi cōiugem dedit. Erat autem Ida non uulgarī nobilitate progenita, nam Heinricus tertius illi patruus erat: & Leo papa nonus, cui pridē Brunoni nomen erat, cum esset Tullensis episcopus, illi erat auunculus. Ea filia quam Russorum regi diximus denuptam, uiro peperit filium Vuarcislaū: mortuoque rege, ex thesauris regijs magno auri pondere, quia asportare non fidebat, in terram defosso, cum ministros operis ut nihil horū proderent de medio iussisset auferri, cū paruulo filio mores exosa gentis, redibat ad matrem. Filius tamen postea reuocatus in regnum, eodē transijt: & matris reuelatione defossum thesaurum reperit, & accepit. Ida uerò posteaquam primus maritus in fata cōcessit, duobus post inuicem iuncta est maritis, Dedoni, & Etelero albo, qui ambo comitatum administrantes in Thietmaria, ab insolenti populo per seditionem oppressi, interierunt. Ex quorum altero filiam sustulit Rikensam, siue Rixam, quam Eilmarus comes de Oldenborg uxorem accepit: indeque sustulit Eilmarū filium, qui per tempora huius Friderici archiepiscopi mouit quæstionem Vdoni marchioni, comitatum Stadensem iam tunc tenenti, in quo sæpe dictæ Idæ hæreditas, super qua nunc agitur, erat collocata. Tenebat autem Vdo cum comitatu dictam hæreditatem non uno iure, sed duplici: quod uirili prole deficiente ex Ida, ad eum quasi directum dominum, feudum reuerteretur, (sed hoc fortè iure tunc necdum utebantur) alio autem capite peruenit ad Vdonem. Filium Idæ Egbertum, congressus Vdo oppressit in acie. Mater orba filio, cum terrenam consolationem non acciperet, Romam deuotionis gratia inuisere cōstituit: peruenitque itinere trāsmissa. Erat in Romana sede auunculus eius Leo, quem tertius Heinricus ad sedem illam rogatus à Romanis animauit, & prouexit. Quam rem in Saxonia quia diximus, hic transimus. Leo neptē suam perbenignè accepit, conquestamque de filij peremptione cōsolatur: hortatus, ut pro remedio peccatorum suorū inimicos diligeret, iniurias ex animo remittat, eisdem

**A** eisdem quod in se est reconcilietur, ut in ea conualescat euangelicum præceptum, & crescat meritum patientiæ in uitam æternam. Quæ exhortatio tam profundè descendit in animum fœminæ, ut reuersa in patriam, Vdonem filij oppressorem non solum non odiret, sed etiam reconciliatum, filij loco adoptaret. Ille non ingratus adoptanti fœminæ matri, curtes de suis multas permisit: quas uiuēs illa pro arbitrio administrabat. Cum autem moreretur, Vdoni omnia sua reliquit. Quam rem Eilmarus iunior, comes de Oldenborg, nepos ex Idæ filia, subuertere conatus, iudicio cœpit experiri: sed nihil profecit. Nam Fridericus quidam Stadenſis comitatus pro Vdone administrator, gratia illum & ære à petitione submouit. Quis autem, & unde fuerit iste Fridericus, postea dicemus.

## CAPVT XXXVIII.

**S**ed ab Osnaburgensi ecclesia non statim nobis discedendū, quia per hæc tempora deposito Marquardo, uigesimalis ordinatur episcopus, cui nomen erat Vuido. Cuius temporibus hoc solum memorabile, pariterq; miserabile commemoratur, quod uetus ecclesia Osnaburgensis incendio conflagravit: tumultuariè tum disiectis sanctorum reliquijs, per trepidationem eripere incendio festinantium, ut diu ignoraretur, quem in locū essent translatae, donec diuino miraculo innotesceret, & ad priorem cultum reuocarentur. Præfuit autem hic Vuido ecclesiæ suæ per annos octo, cum adhuc Imperio potiretur quartus Heinricus, necdum à filio deturbatus Imperio: peruenitq; uiuendo ad annum primū post mille centum. .ii. calendas Maij, sicut Domino placuit, translatus ab hoc exilio, meliora nactus est regna, ut confidimus.

## FINIS QVINTI LIBRI.

## LIBER SEXTVS

## CAPVT I.



**Q**VIA in ditione Bremensis ecclesiæ comitatus Stadenſis atque Thietmarsia ab olim fuere, operæ precium est eam rem ab antiquissima memoria reuocare. Magnus Carolus cum ecclesiam Bremensem fundaret, terminos eius distinxit, & limites assignauit in literis, ut esset ecclesiasticæ ditionis, quicquid illis finibus includeretur: non tamen uoluit, nec debuit, suo quenq; iure despoliare. Erant in his locis uiri potentes, qui subiectos agros cum plebe tenerent. discreuit Imperator agros ecclesiæ fructificantes, omnem autem terram ecclesiastico iuri subesse uoluit, quomodo & ceteri principatus respondent ecclesijs de suis iuribus, primitijs, decimis & oblationibus. Tales in districtu Bremensi dominatus ante Carolū fuere, & permansere in Christianismo. unde Stadenſis comitatus, qui semper annexā habuit Thietmarsiam, ex his fuisse creditur: & transijt in ius marchionum Vdonis & filiorum eius, per tempora Heinrici tertij. peruenitq; per Hartuicum postea archiepiscopum ad ecclesiam Bremensem, à qua abstulit eum comitatum Heinricus Leo dux Saxonie. Sed hæc postea. Per tempora autem quæ tenemus nunc in manibus, sub Friderico archiepiscopo, Stadenſem comitatum administrabat quidam Fridericus pro Vdone. Operæ precium est agnoscere, qui, & unde fuerit iste Fridericus administrator comitatus: ut temporū seriem agnoscamus, & humanarum rerum uarios casus, & contumeliosam multorum fortunam, & patrum impias leges nonnullas agnoscamus. Quo